Soedel, Paul
De fabellis ad Croesum pertinentibus quaestiones selectae

DE FABELLIS AD CROESVM PERTINENTIBVS QVAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAVLVS SOEDEL

DESSAVIENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXI.

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulerunt P. Wendland et M. Pohlenz.

Examen rigorosum habitum est a. d. IV. Kal. Iul. a. MCMXI.

Parentibus meis.

Argumentum.

Historia exitii Croesi, ultimi Lydorum regis, memoriae prodita est tam varie, ut, quid re vera factum sit, vix constitui possit. quae difficillima quaestio cum ab aliis nostri aevi viris doctis tum a Schuberto[1]) subtiliter atque acriter tractata est. sed de fontibus, quibus his de rebus certiores fimus, quaerere etiam nunc haud inutile est. itaque quibus ex fontibus nostri testes hauserint hanc historiam et quomodo tanta narrationum varietas orta sit, disserere mihi proposui.

Hoc libello imprimis historia Croesi exitii et eae historiae, quae cum illa cohaerent, tractabuntur.

I. De Bacchylidis[2]) narratione.

Bacchylides tertio in carmine, quo Hieronis, Syracusarum tyranni, victoria Olympica in ol. LXXVIII. (468) incidens illustratur, a proposito digrediens historiam Croesi exitii refert. cum Hiero iam proximo anno sit mortuus, hoc carmen annis 468/7 ortum esse constat.

I. Argumentum[3]).

III, 23—65: Sardibus ab exercitu Persarum captis Croesus infelicissimum diem servitutis lacrimosae exspec-

1) Rud. Schubert, Geschichte der Könige von Lydien, 1884.

2) De Bacchylidis carminibus egerunt: Wilamowitz, Bacchylides Berl. 1898. — Christ, Zu den neugefundenen Gedichten des Bacch., Bayr. Ak. d. Wiss. 1898 I, pag. 3 sqq. — Crusius, Philol. 57, 152.

3) cf. Wilamowitz, Bacchylides 1898, qui hanc carminis partem vertit in linguam Germanicam.

tare noluit. armis ornatus rogum ante aedium portas exstructum cum fideli uxore et plangentibus filiabus conscendit. manus ad caelum tollens exclamavit: deus omnipotens, ubi est deorum clementia? turpiter eripiuntur mulieres e tuta domo. quod antea odiosum fuit, nunc est iucundum. dulce est mori. quibus dictis rogum incendere Habrobatam rex iussit. filiae autem querentes manus ad matrem tetenderunt. at cum vis perniciosae flammae pervadebat, tum Iupiter obscuras nubes caelitus mittens ignem exstinxit. deinde Apollo Delius senem cum filiabus ad Hyperboreos abduxit pietati gratiam referens, quod inter omnes mortales dona maxima Delphos miserat.

Cur Bacchylides hanc fabulam Croesi ab Apolline e rogo incenso erepti et ad Hyperboreos translati huic carmini Hieroni dedicato inseruit? Croesus et Hiero inter se comparantur. tertium comparationis sunt pretiosa dona, quae uterque Apollini Delphico miserat [1]). quibus commotus deus iis, qui illa donaverunt, gratiam et praesidium praebet. qua de causa recte coniecisse Kenyonus et Blassius videntur non magis propter victoriam Olympiae partam quam propter dedicationem aureorum tripodum Delphicorum scriptum esse carmen.

II. De fontibus.

Hac narratione sine ulla dubitatione demonstratur ante Herodoti aetatem fabulam exstitisse, qua Croesum se ipsum et suos necare voluisse narratum est. quae narratio permultum valet ad gravem illam quaestionem recte solvendam, qui fuerit exitus Croesi a Cyro victi; vetustissimus enim testium, qui quidem nobis servati sint, est Bacchylides. iam priusquam Bacchylidis opus inventum erat, rerum scriptores quidam nostri aevi propter illam vasis imaginem, quam infra tractabimus, dixerunt Croesum re vera se ipsum combussisse afferentes nonnulla paria orientalium regum exempla [2]). sed alii viri docti vehementer negaverunt

1) De donariis cf. Blass, Bacchylides³ (1904) praef. LIX sq.

2) cf. Duncker, Gesch. d. Altertums IV⁵ 339 sq.; Koepp, Krösus auf dem Scheiterhaufen; hist. Ztschr. N. F. 38, 442.

memoriam huius modi omnino exstitisse. quoquo modo haec res se habet, nostra id unum interest hoc loco ostendere illam fuisse.

Nunc Bacchylidis narrationem ipsam perscrutemur. qua in narratione duae fabulae inter se coniunctae sunt. quod ex eo cognoscas, quod Croesus a rogo servatur bis: 1) Iupiter precibus Croesi commotus rogum magno imbri exstinguit; 2) Apollo Croesum cum filiabus deducit ad Hyperboreos.

1) Sine dubio illa historia, qua narratur Croesum se ipsum sacrificare voluisse et a Iove e rogo ereptum esse, est prima et genuina fabulae forma [1]). hoc loco exstat fabula sincera, etiam libera a retractatione Delphica: penes Iovem solum est summa potestas tempestatum ac ventorum. qua de causa consentaneum est illum solum flammae vim perrumpere posse imbri. etiam aetate haec historia superat ceteras omnes memoriae traditas. gravissimum autem est eam comprobari etiam alio teste, illa vasis imagine.

Sine dubio huic relationi subest aliquid veri [2]). nam rogus commemoratur ab omnibus huius rei testibus exceptis illis, qui certa causa commoti rogum celant.

Meiserus [3]) haud recte censet historiam Croesi se ipsum comburentis continere nihil veri putans eam depromptam esse e Lydorum religione, qua doceretur Sandanem se praecipitantem in flammas e cinere in vitam redire iuvenescentem: quam ad Croesum translationem non verisimilem esse puto, quamquam nunc constare videtur Sandanem in Lydorum religione inventum esse [4]). Meiserus enim

1) cf. Christ, l. l. pag. 153.

2) cf. Duncker, l. l. IV, 330. — Busolt, Griech. Gesch. II^2 503 adn. 2: „Etwas Tatsächliches muß der Scheiterhaufenszene zugrunde liegen".

3) Meiser (Vom Ende des Königs Krösus; Progr. Speyer 1907) Bacchylidis narrationem accuratissime et diligentissime tractavit. etiam ille narrationem Bacchylidis divisit in duas partes: „Selbstverbrennung" et „Entrückungsgeschichte".

4) cf. Hoefer in Roscheri lexico s. v. Sandas (col. 322 et 326); contra Ed. Meyer (Forsch. I, 167 et Ztschr. d. deutschen morgenlan-

dicit hanc translationem esse adiutam similibus rebus a regibus orientalibus gestis. atque constat complures reges orientales victos, ut servitutem tristem effugerent, se ipsos sacrificavisse deis [1]. sed his exemplis ipsis videtur mihi doceri optime cogitari posse etiam Croesum eodem modo mortem sibi consciscere voluisse, cum fuerit rex pius, qui populum suum amabat, et putaverit hoc facto se placaturum esse deos. — ea re, quod Croesus etiam Sardibus captis vixit in Cyri exercitu [2], prave commotus esse videtur Meiserus (l. l. p. 7), ut improbaret illam Croesi se ipsum sacrificantis historiam. sed huic rei non repugnat Bacchylidis historia: Iupiter enim liberavit illum a flammis; finis autem fabulae genuinae apud Bacchylidem est corruptus, quod addita est historia Apollinis regem deducentis ad Hyperboreos. quoquo modo res se habet, ex illa historia concludi potest Croesum non interisse rogo. mihi quidem res ita evenisse videtur: Croesus, ut servitutem effugeret, se ipsum necare constituit. mirum in modum prohibitus est facere, quod voluerat. Cyrus, ut alioquin describitur rex clementissimus, illi parcens eum secum duxit in itineribus [3], ita Croesum eripiens oculis populi sui. hanc rem, quae praeter omnium opinionem evenerat, non nisi Iovis auxilio factam esse posse omnes homines pro certo habuisse consentaneum est. quo modo data occasione fabulas fingendi [4] facile nasci poterat Bacchylidis narratio, qua refertur Iovem imbri servasse Croesum.

2) Altera fabula, quae profert translationem [5] Croesi ad Hyperboreos per Apollinem factam, posterioris aetatis est. quaestio nascitur, utrum haec translatio fuerit finis narrationis an addita tantum sit alteri fabulae. hoc meo

---

dischen Ges. 31, 736) et Furtwaengler (in Roscheri lexico I, 2136) negaverunt Sandanem adoratum esse apud Lydos.

1) cf. Duncker l. l. IV[5] 330 sq.; Koepp l. l. 442; maxime Meiser l. l. pag. 12 sqq.

2) cf. Her. I, 155; 207; 208. III, 14; 34; 36.

3) cf. Xen. Cyrop. VII, 2, 29 et Nicol. Dam. fr. 68.

4) Hac de re infra accuratius tractabitur.

5) cf. Rohde, Psyche, 68 sqq.: „Entrückung, Inseln der Seligen".

quidem iudicio probabilius est, fabulam translationis ad originem Delphicam referendam esse Meiserus (l. l. p. 14) docuit [1]. est primum vestigium retractationis Delphicae, quam poeta pius a sacerdotibus commotus libenter rettulit. quod esse additamentum Delphicum probatur hoc modo: sacerdotum Delphicorum permultum intererat demonstrare eos, qui in Apollinis tutela essent, non desertum iri in rebus adversis. nam homines oraculum Delphicum adeuntes, cum vidissent illa donaria pretiosa a Croeso dedicata, mirari coepisse tristem illum regis exitum consentaneum est. ut animos excitatos placarent, illud additamentum fecerunt sacerdotes. cum autem altera fabula Iovis Croesum imbri servantis iam satis percrebruisset, Delphici satis habuerunt addere fabellam Croesi ad Hyperboreos deducendi, ut Apollinis iustitiam demonstrarent; cui famae favebat ea res, quod Croesus iam non versabatur apud populum suum.

De fontibus utriusque fabulae hoc est dicendum. illam fabulam genuinam valde vulgatam [2] Bacchylides hausisse potest e quolibet fonte. origo Delphica alterius fabulae constat. quis contaminavit has duas fabulas? Meiserus (l. l. p. 22) contaminationem ascripsit poetae, qui deditus erat oraculo Delphico, — Aristeae. sed haec sententia, praesertim cum perpauca sciamus de illo Aristea, nihil est nisi coniectura, quae fundamento omni caret. meo quidem iudicio nihil obstat, quin Bacchylidem ipsum addidisse alteram fabulam Delphicis sacerdotibus debitam ponamus.

II. De vasis imagine.

Quod Croesus in rogo se ipsum sacrificare voluit — id quod modo cognovimus apud Bacchylidem initio narrationis — feliciter comprobat imago vasis, quod est Parisiis [3].

1) De ratione inter Delphos et Hyperboreos cf. Crusius in Roscheri lexico I, 2806 sqq. et Furtwaengler ibid. I, 425 sq.

2) cf. illud imaginis vas, quod infra tractabimus.

3) cf. Welcker, alte Denkmaler III, tab. 33, explicata pag. 481; Furtwaengler-Reichhold, Vasenmalerei II, tab. 113, quorum effigies imaginis nunc sola respicienda est.

quod natum esse circa a. 500., certe ante bella Persarum archaeologi consentiunt.

I. Explicatio vasis imaginis.

Croesus ornatu regio indutus sedet in sella regia imposita in rogum omnibus in partibus pariter flagrantem, sinistra manu tenens sceptrum regium, dextra pateram. infra stat vir subligaculo tantum cinctus, non faces, sed. ut Welckerus recte cognovisse mihi videtur, flabella sacrificalia manibus tenens. cuius ex nomine „Euthymos“ et e capite corona ornato concludi potest illum esse potius ministrum sacrificantem quam qui Cyri iussu rogum incendat.

Videmus igitur hanc imaginem Croesum se ipsum deis sacrificantem facere, id quod, postquam Bacchylidis narrationem cognovimus, multo facilius intellegere possumus quam Dunckerus et alii viri docti, qui Bacchylidis narratione non cognita tamen hac vasis imagine commoti sententiam dixerunt Croesum vere se ipsum sacrificavisse [1].

Sed hanc imaginis descriptionem, quae magna ex parte in Welckeri interpretatione posita est, non omnes viri docti comprobant. Schubertus negat ea describi Croesum se ipsum sacrificantem [2]. — etiam Furtwaenglerus, cuius

---

1) Quam sententiam defendit etiam Furtwaenglerus his verbis optimis (pag. 278): „Wenn wir alle Züge im Bilde für bedeutsam ansehen, und das müssen wir tun bei einer so gewissenhaft durchgeführten Arbeit, dann kann die Opferschale, die Krösus als Opferer und Opfer in einer Person ausgießt, ferner das Zepter in den Händen des Fürsten, sein Thron, den er sich auf den Scheiterhaufen stellen ließ, nichts anderes sagen wollen, als daß Krösus freiwillig in den Tod geht, um als König zu sterben anstatt als Gefangener sein Schicksal in das Belieben des Siegers zu stellen“.

2) l. l. pag. 125; sed miror illum, qui parum accurate imaginem inspexisse videtur, scribere potuisse haec: „In dem Opferdiener, der den schon brennenden Holzstoß mit Weihwasser besprengt, wird man bei genauerer Betrachtung wohl nur einen gewöhnlichen Perser erkennen, der nicht Weihwasser, sondern allein schlecht Wasser zur Hand hat und damit den schon brennenden Scheiterhaufen auf Befehl des Cyrus zu löschen beginnt“.

auctoritas his in rebus multum valet, uno loco a nostra sententia discrepat dicens bacula, quae minister in manibus tenet, non flabella, sed faces esse[1]. sed ut taceam mihi videri minime verisimile esse pictorem, qui alioquin imaginem tam diligenter et subtiliter fecit, faces tam prave pinxisse — Furtwaenglerus ipse confitetur: „allerdings schauen sie anders aus als die übliche Art von Fackeln" —, etiam intellegi non potest, quid illae faces sibi velint, cum rogus undique incensus sit. qua de causa illa bacula putanda sunt cum Welckero flabella, quod censet etiam Koeppius (l. l.). qua in re dubium manet, utrum his flabellis rogus sacretur — quae est Welckeri sententia — an confletur ignis, qui nondum sellam Croesi tetigit.

II. De fontibus.

Hac vasis imagine describi Croesum se ipsum comburentem vidimus. — sed alia quaestio nascitur: quam fabulam pictor illustrare voluit hac imagine? Furtwaenglerus iudicat hac ex imagine concludi posse auctorem nescivisse Croesum servatum esse ab Apolline[2]. si haec Furtwaengleri sententia recta esset, haec vasis imago praeferenda esset Bacchylidis narrationi, in qua Croesum servavit Iupiter. haec imago esset de Croesi exitio historiarum primus gradus, quo nullius dei mentio facta esset, sed

1) „Die genauere neue Aufnahme zeigt deutlich, wie am Ende der Stäbe und offenbar nicht aus ihnen herauswachsend, ganz unsymmetrisch auseinanderlaufende Linien ansetzen, daß es sich somit nicht um einen fächerförmigen Wedel handelt, sondern um Flammen, die aus Fackeln heraussprühen".

2) „Apollons Anwesenheit hatte genügt, um eine glückliche Lösung der Tragödie anzudeuten". „Der Erzählung, wie Solon den König, bevor er sein Ende nicht kenne, ihn auch nicht für den glücklichsten aller Sterblichen erklären wolle, dieser Erzählung fehlt ja die Pointe, wenn die Gottheit schließlich das Schicksal doch noch zum Guten wendet. Also konnte in dieser Version ursprünglich der gewaltsame Tod nicht fehlen. Wohl aber war eine böse Wendung für die vom König so reich bedachte Priesterschaft Delphis recht fatal . . . Die Vase bietet uns also die Erzählung noch unberührt von der griechischen Geschichtsfälschung".

Croesum a Cyro victum deis, ut populo Lydorum parcerent, ipsum se sacrificasse narratum esset. talis igitur historia secundum Furtwaenglérum ceteris praeferenda esset. certe speciosa est haec coniectura. sed valde dubito illi assentiri neque multum ei rei tribuerim, quod vas aetate ceteros testes antecedit. omnino statuendum est per se non necesse esse fabulam casu prius traditam etiam prius natam esse fabula casu postea tradita. — Croesum vitam suam non finivisse rogo, cognoscitur vel ea ex re, quod Croesus etiam Sardibus captis vixit in Persarum exercitu (cf. Her. I, 155, 207, 208; III, 14, 34, 36). qua de causa cogitari non potest fabulam exstitisse, secundum quam Croesus re vera in rogo mortuus est. — Furtwaenglerus longius progredi mihi videtur putans pictorem omnia, quae comperta haberet, inserere potuisse imagini. mea quidem sententia auctori in animo fuit fingere partem tantum fabulae, et partem optimam et gravissimam eius fabulae, quae illis temporibus erat vulgata. quam fabulam fuisse eandem, quam supra cognovimus apud Bacchylidem genuinam ac primam, si non certum, tamen probabile esse puto [1]. nam pictor, cum vasis spatium valde angustum esset, deum imagini addere non potuit, praesertim cum iam huius imaginis altitudo difficultates paraverit et ob eam causam imago in dextram partem paulum inclinata sit (Furtw. pag. 280). difficillimum fuit deum Croesum ex igni eripientem dignum pingere. denique puto descriptionem rogi suffecisse, ut omnibus in memoriam revocaretur nota illa fabula.

III. De Herodoti narratione.

Herodotus primo libro, in quo res Lydias tractavit, cap. 84—91 de ultima Croesi et Lydorum fortuna rettulit.

I. Argumentum.

1) cap. 84: Croeso ante urbem victo a Cyro Sardes expugnatae sunt hoc modo: postquam quarto decimo ob-

1) cf. Meiser pag. 21.

sidionis die Persae urbem frustra oppugnaverunt, vir Mardus genere, cui nomen erat Hyroeades, arcem ascendere conatus est eo loco, quo custodes locati non erant, cum esset abruptus et inexpugnabilis videretur. hac in muri parte Meles, rex Lydorum antiquus, non circumtulerat illum leonem; nam Telmessenses dixerant, si leo circa murum circumferretur, Sardes inexpugnabiles fore. Mardus igitur, cum pridie vidisset Lydorum aliquem ab illa parte arcis descendentem, ut galeam devolutam reportaret, eodem loco arcem ascendit et ceteri Persae eum secuti sunt. quo modo Sardes captae sunt.

2) cap. 85: Hoc loco Herodotus illam de filio muto fabulam addidit, ut explicaret, quomodo factum esset, ut caperetur vivus. — Croeso enim erat filius mutus, cuius causa cum multa alia fecerat, tum oraculum Delphicum consuluerat, quod versibus ab Herodoto relatis ei responderat illum recepturum esse vocem infelicissimo die. — cum Sardibus captis Persarum aliquis, cui Croesus ignotus erat, illum occidere vellet, mutus ille puer prae metu ac dolore tum primam vocem edidit et servavit hoc modo patrem, qui ob eam causam captus est vivus.

3) cap. 86, 87: fabula rogi:

a) Arce expugnata Croesus, postquam quattuordecim annos regnavit et quattuordecim dies obsessus est, vivus captus ad Cyrum ductus est. qui in rogum exstructum imponi iussit Croesum compedibus vinctum et una cum illo bis septem filios Lydorum. quod fecit Cyrus, non ut Croesum tolleret, sed, ut Herodotus dicit, *ἐν νόῳ ἔχων εἴτε δὴ ἀκροθίνια ταῦτα καταγιεῖν θεῶν ὅτεῳ δή, εἴτε καὶ εὐχὴν ἐπιτελέσαι θέλων, εἴτε καὶ πυθόμενος τὸν Κροῖσον εἶναι θεοσεβέα τοῦδε εἵνεκεν ἀνεβίβασε ἐπὶ τὴν πυρήν, βουλόμενος εἰδέναι εἴ τίς μιν δαιμόνων ῥύσεται τοῦ μὴ ζῶντα κατακαυθῆναι.*

b) Croesus autem, cui super pyram stanti in mentem rediit illud Solonis, qui neminem viventem nominari posse beatum dixerat, ter exclamavit Solonem. quod audiens Cyrus e Croeso quaesivit, quis ille esset, quem invocasset. ille, cum initio tacuisset, tandem rettulit de illo cum Solone

colloquio. — interea incenso rogo iam extrema arserunt. — Cyrus haec verba audiens cognovit, quid commissurus esset alium hominem vivum igni tradens. praeterea deos veritus, cum nihil esse stabile in rebus humanis intellexisset, rogum exstingui, Croesum deduci iussit.

c) Tum Croesum, cum omnes ignem exstinguere non posse videret, magna voce auxilium petivisse ab Apolline dicunt Lydi. quo facto, nubibus, quamquam adhuc caelum serenum et tranquillum fuerit, repente contractis effusum esse vehementissimum imbrem, quo ignis exstinctus sit.

4) cap. 87—90: Croesi et Cyri colloquium: Cyrus cum Croeso, qui hoc modo servatus vir bonus esse videbatur, ad se ducto hoc habet colloquium:

a) cap. 87: Primum a Cyro interrogatus, cur in illius fines invasisset et hostis ei esse maluisset quam amicus, Croesus respondit haec se fecisse illius prospero, suo infausto fato. auctorem fuisse Graecorum deum, qui se ad bellum suscipiendum impulisset; neminem enim tam amentem esse, ut bellum praeferret paci. sed rem dis auctoribus sibi praeter spem evenisse.

b) cap. 88, 89: Croesus vinculis solutus et maximis honoribus affectus, cum paulo post Persas Lydorum urbem vastantes videret, postquam veniam dicendi accepit, e Cyro quaesivit, quid illa hominum turba tanto studio faceret. cui Persas urbem Lydorum diripere respondenti Croesus haec verba fecit: *οὔτε πόλιν τὴν ἐμὴν οὔτε χρήματα τὰ ἐμὰ διαρπάζει· οὐδὲν γὰρ ἐμοὶ ἔτι τούτων μέτα· ἀλλὰ φέρουσί τε καὶ ἄγουσι τὰ σά.* tum Cyro petenti, ut quid sentiret exponeret, dixit Persas natura superbos esse, eosdem inopes; quodsi passus esset hos ingentem pecuniae vim sibi ipsis retinere, metum esse, ne ii, qui plurimis opibus potiti essent, rebellarent. deinde illi suasit, ut diripientes res reddere iuberet dicens necesse esse decimas opum Iovi offerri. sic neque illorum in odio eum futurum esse, et illos id facturos esse non invitos. — Cyrus valde gavisus his verbis exsecutus est, quod ille monuerat.

c) cap. 90: Deinde a Cyro commotus, ut optaret, quod vellet, Croesus ab illo petivit, ut sineret se deo

Graecorum vincula [1]) mittere atque eum interrogare, cur decepisset se illo oraculo. tum Cyro quaerenti, cur id ipsum peteret, rettulit omnes suas res et dei responsa, maxime exposuit, quanta donaria illi dicavisset, quomodo a deo concitatus bellum in Persas suscepisset. postquam Croesus rursus illud optavit, Cyrus precibus illius obsecutus est.

5) cap. 90, 91: Compedibus Delphos missis Pythia Croesi nuntiis copiose respondit: sortem fato destinatam effugere ne deus quidem potest. Croesus autem quinti genitoris peccatum luit. sed quantum fatum permisisset, tantum Apollo ei opitulatus est. nam tribus annis distulit Sardium expugnationem et Croesus tribus annis post, quam fata destinaverant, captus est. deinde, cum in rogo cremaretur, deus ei opem tulit. tum Pythia refutat accusationem Croesi et explicat oracula Croeso data, quae ille non intellexerit. quibus auditis Croesus suam ipsius esse culpam, non dei cognovit.

II. De fontibus [2]).

Priusquam fontes narrationis Herodoteae, qua agitur de Lydorum regni exitio, tractamus, dua spectanda sunt, quae hac in narratione permultum valent.

Priore loco quaerendum est, quae ratio sit inter Herodotum et oraculum Delphicum, id quod saepe expositum est [3]). Oerius [4]), postquam priore parte dissertationis oracula genuina a deo Delphico versibus data subtiliter tractavit, epilogo (pag. 60) de argumento et ratione fontis Delphici egregie iudicat: cum auctoritas dei Delphici non-

1) De hoc more non modo per verba, sed etiam per actiones symbolicas docendi egit P. Wendland (Intern. Wochenschrift 17. Juli 1911). exempla Herodotea mox colliget Pohlmann in diss. Gott. 1912.

2) De fontibus Herodoteis permulti viri docti disputaverunt, cf. Christ-Schmidt pag. 436 sq.; Ed. Meyer, Gesch. d. Alt. III, 6 et 239; C. Wachsmuth, Einleit. in d. Stud. d. alt. Gesch. p. 513 sqq.; G. Busolt, Griech. Gesch. I^2, 153 sq.; II, 89 sqq.

3) cf. Stein, Her. II, 180; Pomtow Rh. M. 51, 333 adn.

4) Oeri, de Herodoti fonte Delphico; Diss. Bas. 1899.

nullis oraculis, quibus mala facinora a Pythia probabantur, apud Graecos diminuta esset, Delphi illam reparare conati sunt, colligentes libro narrationes apologeticas, quae paene semper discrepant a testium indigenarum narrationibus. originis Delphicae signum certum est narrationis finis apologeticus. qua de causa multae narrationes sub nomine oraculi Delphici traditae, quae non praedicant dei Delphici gloriam, refutandae sunt; nam oracula fingere apud omnes valde usitatum artificium erat. has narrationes Delphicas fuisse *ὑπομνήματα*, quibus Herodotus usus est, non librum omnibus patentem Oerius putat. num Herodotus re vera solus hunc thesaurum expilaverit a sacerdotibus electus, ut divulgaret eorum commenta, mihi quidem esse dubium videtur, cum sacerdotum Delphicorum maxime interfuisse putem quam plurimis dei miracula narrare. — etiam Wilamowitzius [1]), quamquam plura fonti Delphico attribuens ab Oerio paucis locis redargutus est, tamen naturam fontis optime descripsit his verbis: „... eine Exegetenüberlieferung, der Atthis analog, ein Buch von unschätzbarem geschichtlichem und poetischem Werte und doch kein ediertes Buch, ist hier vollkommen kenntlich".

Deinde difficillima illa quaestio, quae hoc in libello permultum valet, maxime in ea parte, quae scripta est de Nicolai Damasceni narratione, accuratius tractanda est, num Herodotus primo in libro, quo Lydias res narravit, usus sit Xanthi Lydiacis. sed cum huius quaestionis tractatio nimis digrediatur a proposito, eam differamus ad finem totius dissertationis. hoc loco satis sit summam cognoscere: ponendum est Herodotum non usum esse Xantho. fons igitur Lydius, unde hausit Herodotus, non sunt Xanthi Lydiaca.

1) Narrationem de Sardium expugnatione prolatam Herodotus debet fonti Lydio. quod certum esse mihi videtur ea ex causa, quod hoc capite commemoratur oraculum Telmessensium. qui sacerdotes urbis Caricae *Τελμησσός* iam antiquissimis temporibus propter vaticinia

1) Wilamowitz, Aristoteles und Athen I, 284.

erant clari. Meleti, fabuloso regi, oraculum supra allatum ediderunt. memoriam huius fabulae in Lydia sola ferri potuisse puto propter auctoritatem Sardium propriam. eadem profuit gloriae oraculi Asiatici. cuius oraculi mentio, quo explicatur, cur illa muri pars custodiis caruerit, toti huic narrationi tanti momenti est, ut Schuberti (pag. 3) sententiam sequi non possimus, qui illam ab Herodoto ipso esse additam putat; immo vero iudicandum est Herodotum totam narrationem e fonte Lydio hausisse. quem scriptum fuisse cum Schuberto (p. 106) consentimus. quam opinionem probant et accurata relationis diligentia et mentio singularum rerum, imprimis id quod etiam nomen illius Mardi, qui primus ascendit praeruptum arcis locum, nominatur.

2) Fons Lydius, ex quo I, 84 manavit, continuatur capite 86; cap. 84 finitur his verbis: . . . *οὕτω δὴ Σάρδιές τε ἡλώκεσαν καὶ πᾶν τὸ ἄστυ ἐπορθέετο.* et cap. 86 incipit a verbis, quae narrationem interruptam continuant: *Οἱ δὲ Πέρσαι τάς τε δὴ Σάρδις ἔσχον καὶ αὐτὸν Κροῖσον ἐζώγρησαν.* ut Cyrus iusserat cap. 80: *Κροῖσον δὲ αὐτὸν μὴ κτείνειν, μηδὲ ἢν συλλαμβανόμενος ἀμύνηται.* quem fontem Lydium non continuisse apertum est illam fabulam, qua narratur Croesum a Persarum aliquo necatum iri, nisi filius prohibuisset. quam inseruit Herodotus in continuam narrationem Lydiam, ut illud *Κροῖσον ἐζώγρησαν* explicaret. quae historia, cum Delphorum oraculum celebretur, sine ulla dubitatione Delphis orta est. quod probatur etiam versibus proditis [1]).

3) Capitibus 86 et 87 describitur fortuna Croesi ipsius. quae Herodoti descriptio ex unico fonte non fluxit. quam cum diligentia perlegens cognosces eam duo culmina habere: a) celebratur Solon a Croeso ipso: *Τὸν ἂν ἐγὼ πᾶσι τυράννοισι προετίμησα μεγάλων χρημάτων ἐς λόγους ἐλθεῖν.* sapientia Graeca vicit superbiam et dementiam barbarorum. b) celebratur Apollon, qui suos etiam e rogi flammis eripiendi potestatem habeat.

1) cf. Oeri, l. l. pag. 14.

Quas duas partes esse diversarum narrationum constat. unde haustae sunt?

a) Ab historia de Croesi et Solonis commercio prolata (I, 29—33) haec Solonis mentio (cap. 86) segregari non potest. quae est quasi flos e tota Solonis fabula decerptus et comprobat sapientis Atheniensis dicta. quod commercium accurate tractatum est a Schuberto (l. l. pag. 70 sq.). qui fontem putat Delphos[1], quibus in Herodoti fontium numero concedit magnam auctoritatem. quam originem concludit e fine historiae, quae est de Cleobi et Bitone (cap. 31): *Ἀργεῖοι δέ σφεων εἰκόνας ποιησάμενοι ἀνέθεσαν ἐς Δελφοὺς ὡς ἀνδρῶν ἀρίστων γενομένων*[2]. sed tota Solonis narratio Herodotea propter haec verba e Delphis derivari non potest[3]. hanc Cleobis Bitonisque fabulam Croesi

---

1) Origo huius narrationis Delphica iam per se non verisimilis esse videtur. nam Solonis mentionem diminuere auctoritatem Apollinis servantis apparet. id quod certe non in animo erat sacerdotibus Delphicis.

2) Quae Cleobis Bitonisque statuae nuper inventae sunt Delphis, eodem tempore duae plinthides, quae quadrant in illas statuas. his plinthidibus inscripta sunt haec verba: *[Κλέοβις καὶ Βί]τον τὰν ματάρα* (plinthis A) *ἐάγαγον τοῖ δυγοὶ . . . μέδες ἐποίεε* hαργεῖος (plinthis B). hoc carmen accurate tractatum est ab Antonio de Premerstein (Jahreshefte des österreich. arch. Inst. Wien 1910 pag. 41 sq.), qui summam disputationis in fine ita complectitur: „In wenigen, naiv schlichten Worten bietet die aufschlußreiche Inschrift den historisch und kunstgeschichtlich bedeutsamen Urkundenbeweis, daß in den beiden archaischen Zwillingen in Delphi tatsächlich die von Herodot erwähnten und gewiß auch gesehenen Denkmäler der berühmten Brüder Kleobis und Biton uns erhalten sind. Durch hochaltertümliche Schrift- und Sprachformen, die sie als ältestes Zeugnis delphischer Epigraphik erweisen, bestätigt sie im Verein mit dem archaischen Charakter der Skulptur das chronologische Urteil des antiken Geschichtsschreibers, der die Ruhmestat der Brüder und die Errichtung ihrer Statuen in solonische Zeit, also beiläufig ins frühe 6. Jahrhundert, ansetzen zu sollen glaubte. Die Annahme, daß Herodot . . . hier, wie wahrscheinlich auch im Falle des Tellos, von der Betrachtung und Lesung des Monuments ausgegangen ist, und die weitere Vermutung, daß er vielleicht sogar seine Datierung aus diesen entnommen hat, sind schwer von der Hand zu weisen“.

3) Quod etiam Schubertus sentire videtur dicens (p. 77): „Außer der delphischen Tradition hat Herodot sicher auch noch manchen andern

et Solonis colloquio insertam esse Schubertus docuit [1], ut re vera nihil novi affert. perfacile fieri potuit, ut Herodotus eam comperiret a sacerdotibus Delphicis, cum ibi versaretur. sed non minus facile cogitari potest eum hausisse ex alio nescio quo fonte illam fabulam propter statuas divulgatam. — fabulam de Tello prolatam referendam esse ad originem Atticam apparet [2].

Has duas fabulas mea quidem sententia Herodotus ipse inseruit huic narrationi [3]. fons ei nihil praebuit nisi de beatitudine colloquium, quae nemini ante mortem tribuenda sit: cuius sermonis meminisse regem, cum in rogo staret, et ita eum liberatum esse a flammis. Herodotum ipsum huic narrationi addidisse illas duas fabulas iure credere possumus, cum etiam alioquin non abhorruerit ab additamentis similibus [4].

Quo ex fonte illam de Croesi et Solonis colloquio narrationem sumpsit Herodotus? sine dubio e fonte Attico.

Primo loco haec opinio probatur sermonis proposito ipso [5]: nemo ante mortem dici potest felix. quibus verbis

Bericht über das Gespräch des Krösus und Solon gehört, aber trotzdem möchte ich behaupten, daß das, was er in seinem Werke erzählt, der delphischen Fassung im Wesentlichen entspricht. Als charakteristisch für dieselbe betrachte ich die Einschaltung der Geschichte von Kleobis und Biton, die ursprünglich mit der Erzählung überhaupt in gar keiner Beziehung steht". —

1) Schubert, l. l. pag. 78, 2 et 3.

2) Schubert, l. l. pag. 78: „Das Gefecht mit den Megarern bei Eleusis wird außerhalb des attischen Gebietes schwerlich lange in Erinnerung geblieben sein und ebenso der im Gefechte erfolgte Tod des Tellos und dessen öffentliche Bestattung, während bei den Athenern selbst die Erinnerung daran durch das Grabmal auf dem Schlachtfelde beständig wachgehalten wurde".

3) cf. Ed. Meyer, Forsch. II, 234 adn.: „Ich halte es für sehr möglich, daß erst Herodot, nicht die Tradition, die Geschichten von Tellos und Kleobis und Biton dem Solon als Beispiele menschlicher Glückseligkeit in den Mund gelegt hat".

4) Nam etiam rogi fabulam, ut exemplum afferam, contaminavit Herodotus ipse, ut infra cognoscemus. — cf. etiam pag. 37.

5) cf. Lehrs, Populäre Aufsätze pag. 33: „Vorstellungen der Griechen über den Neid der Götter und die Überhebung". U. de Wilamowitz, Griech. Tragödien I^b 21 ss.

profertur sententia non Solonis veri, sed Herodoti ipsius [1], cuius aetate tales cogitationes pervulgatae erant Athenis. quod elucet cum ex aliis locis Herodoteis [2]), tum ex his testimoniis: Aesch. Pers. 362; Ag. 947; Soph. El. 1466; Aristoph. Plut. 87.

Praeterea e Solonis, cui haec verba attributa sunt, persona colligi potest hoc colloquium fictum esse Athenis.

Denique, si narrationem ipsam contemplamur, eius forma Attica aperte agnoscitur, maxime in longa illa Solonis oratione (cap. 32); credas sophistam Atticum de rebus humanis fragilibus et caducis uberrime docentem te audire. captiosa illa ratio: *ἐς γὰρ ἑβδομήκοντα ἔτεα οὖρον τῆς ζόης ἀνθρώπῳ προτίθημι. οὗτοι ἐόντες ἐνιαυτοὶ ἑβδομήκοντα παρέχονται ἡμέρας διηκοσίας καὶ πεντακισχιλίας καὶ δισμυρίας, ἐμβολίμου μηνὸς μὴ γινομένου·* . . . sophisticam originem prae se ferre mihi videtur [3]). maxime autem insequentibus in verbis inveniuntur cogitationes recentis aetatis, quae certe debentur sophistis: vir pauper laudatur, qui opes suas secum portans veram felicitatem assequitur; sed divites, quamquam opibus abundant, beata vita carent. num tale colloquium traditum est a sacerdotibus Delphicis? num illi celebraverunt virum pauperem, qui sibi certe neque aurum neque argentum dedicare posset, pretiosa illa donaria Croesi, ditissimi regis, neglexerunt?

Omnes igitur cogitationes, quas hac in oratione tractavit Herodotus, omnino non cadunt in Delphos, ut suspicatus est Schubertus. praeterea haec narratio nihil confert ad Apollinis laudem celebrandam, qua, ut supra vidimus, Delphicae narrationes carere non possunt. immo vero hoc loco nobis occurrunt sententiae Herodoti Athenis viventis et rationalismum, qui dicitur, sequentis [4]).

Hanc de Solonis et Croesi colloquio narrationem artissime cohaerere cum illius in cap. I, 86 mentione iam

---

1) cf. Ed. Meyer, Forsch. II, 260.

2) cf. III, 40; VII, 10, 5.

3) cf. Diels, N. Jahrb. f. d. klass. Alt. 25, 13 sqq.

4) cf. Ed. Meyer, Forsch. II, 239 sq., cf. etiam huius libelli p. 22 sqq.

supra diximus, quae est finis et quasi culmen totius de Solone historiae, quo omisso illud Solonis sapientis dictum caret ea auctoritate, quam affert Croesi ipsius vita. qua de causa cap. 86 pars, quae quidem ad Solonem pertinet, referenda est ad eundem fontem Atticum, quem non scriptum fuisse, sed viva voce latum esse verisimilius esse mihi videtur.

b) Quem fontem secutus est Herodotus ea in parte, qua Apollo celebratur? difficile non est hanc fabulam fonti Delphico ascribere. sacerdotes Delphicos fabulam Croesi ab Apolline servati cognovisse et celebravisse apparet ex huius fontis ratione: fieri non potuit, ut praetermitterent hoc Apollinis factum, quo dei potentia demonstrabatur amplissime. praeterea origo Delphica ex eo cognoscitur, quod Pythia ipsa hoc dei facinus his verbis laudat: *δεύτερα δὲ τούτων καιομένῳ αὐτῷ ἐπήρκεσε* (cap. 91). huc accedit, quod etiam illud colloquium (I, 87—90) partim e fonte Delphico haustum requirit memoriam huius fabulae Delphicam, ut infra videbimus.

Iam vero Herodotus ipse ostendit fontem huius relationis: *λέγεται ὑπὸ Λυδῶν* (I, 87). per se e fonte Lydio hausisse potest Herodotus. sed, etiamsi hoc loco testes affert, tamen alio ex fonte sumpsisse potest hanc narrationem, et sumpsit re vera alio ex fonte. hoc enim loco cognoscimus illam Herodoti rationem testes proferendi [1]: sermonem hominum praefert memoriae scriptae. fortasse hoc loco ipso causa exstabat, cur fontem proximum nominaret Lydos. nam cum illius aetatis rationalismo, qui dicitur deditus fuerit, ei ortae esse possunt dubitationes, num mira haec narratio a sacerdotibus Delphicis tradita [2] sit vera. qua de causa profert testimonium Lydorum, quos optimam notitiam regis fortunae habuisse putavit.

Cetera omnia Herodotus e fonte Lydio hausit, maxime

1) Diels (Herm. 22) docuit libro altero exstare locos, quibus Herodotus Aegyptios affert testes, quamquam fonte usus est Hecataeo. idem hoc loco nobis occurrit.

2) cf. hac de re etiam pag. 19; 45.

initio cap. 86 ea, quae dicit de Croesi regno, de Sardium obsidione, de rogo exstructo.

Herodoto igitur adfuerunt narrationes tres: a) fons Lydius, b) fons Delphicus, c) fons Atticus.

Restat, ut paucis verbis argumentum singulorum fontium revocemus in memoriam.

a) Fons Lydius: Croesus per quattuordecim annos regnaverat et per quattuordecim dies oppugnatus erat, cum Sardibus expugnatis captus vivus ductus est ad Cyrum. qui in rogum illum cum bis septem Lydis imposuit. rogo incenso Croesus mortis timore impulsus ab Apolline auxilium petivit, qui imbri rogum exstinxit. quo miraculo oppressus Cyrus illi pepercit et eum honoribus affecit.

b) Fons Delphicus: cum Croesus a Cyro in rogum impositus et compedibus vinctus rogo iam omnibus in partibus incenso supplex auxilium Apollinis poposcit, tum ex sereno caelo deus ingentem imbrem misit, qui ignem exstinxit et Croesum servavit. ex eo Cyrus cognovit Croesum esse virum sanctum piumque, quem deus e periculo liberaverat. quam ob rem eum benigne apud se recepit.

c) Fons Atticus: Solon aliquando interrogatus est a Croeso, quis putandus esset beatissimus homo. Solon neminem ante mortem felicem dici posse illi respondit. at Croesus contempsit illius sententiam. cum autem in rogo incenso stabat, meminerat illorum Solonis verborum et ter nomen Solonis exclamavit. Cyro quaerenti, quid hoc sibi vellet, Croesus totum cum Solone colloquium rettulit. quibus auditis Cyrum debilitatem suam cognoscentem paenituit, quod alium hominem vivum igni traderet. atque mutationem rerum humanarum veritus rogum exstingui iussit.

Quibus ex tribus fontibus Herodotus contaminavit suam narrationem. quam ob rem non caret vitiis quibusdam et obscuritatibus. unum huius modi locum affert Schubertus (p. 112) docens cognosci non posse, quo temporis puncto rogus incensus sit. — non minus offensioni est, quod Croesus flammis rogi liberatur bis: 1) Cyrus Croesi narratione victus, cum debilitatem suam cognoscens poenam deorum

timeret, ignem exstingui et Croesum et eos, qui cum eo erant, deduci iussit. 2) Croesus ipse auxilium imploravit ab Apolline, qui imbri rogum exstinguens Croesum servat. quas narrationes Herodotus diligenter alteram iuxta alteram posuit. difficultatem huius coniunctionis tollit verbis: . . . *ὡς ὥρα πάντα μὲν ἄνδρα σβεννύντα τὸ πῦρ, δυναμένους δὲ οὐκέτι καταλαβεῖν.* quo modo comprobatur Apollo interveniens.

Herodotum in narratione Croesi ab Apolline servati praeter fontem Lydium etiam Delphico usum esse cognosci posse mihi videtur ex eo, quod imber defluxit ex sereno caelo (I, 87): *ἐκ δὲ αἰθρίης τε καὶ νηνεμίης συνδραμεῖν ἐξαπίνης νέφεα, καὶ χειμῶνά τε καταρραγῆναι καὶ ὗσαι ὕδατι λαβροτάτῳ.* quae verba hausta esse puto non e fonte Lydio, sed e fonte Delphico, qui ad maiorem dei gloriam memoriam commutavit [1]. — Quin etiam conicere licet Herodotum hac in fabula narranda imprimis consuluisse testes Delphicos ex ea re, quod hanc narrationem sequuntur verba sumpta e fonte Delphico, non e fonte Lydio, quamquam hic aptiora praebuisset, ut cognoscemus.

4) Colloquio inter Cyrum et Croesum habito tractari tres res iam supra vidimus: a) cur Croesus bello persecutus sit Cyrum; b) de Sardibus direptis; c) de Croesi compedibus.

Intelleximus et fonte Delphico et fonte Lydio descriptam esse illam fabulam Croesi ab Apolline e flammis erepti, quam continuans in utroque fonte inveniebatur colloquium Cyri et Croesi, quod Herodotus reddidit.

a) Quaestio illa (c. 87), cur Croesus Cyro bellum intulerit, manavit e fonte Delphico. quod efficitur ex his verbis: *αἴτιος δὲ τούτων ἐγένετο ὁ Ἑλλήνων θεὸς ἐπάρας ἐμὲ στρατεύεσθαι.* quibus cum verbis cohaeret Cyri quaestio (I, 90): *Κῦρος δὲ εἴρετο ὅτι οἱ τοῦτο ἐπηγορέων . . .* —

b) Sed inter illam quaestionem (cap. 87) et hanc Cyri interrogationem (cap. 90) interiecta sunt cap. 88, 89. fons enim Lydius rettulit nonnulla, quae usque ad finem Delphici

---

1) Hanc quaestionem infra tractabimus (pag. 45).

sermonis reservare non potuit: *Κῦρος δὲ αὐτὸν λύσας κάτισέ τε ἐγγὺς ἑωυτοῦ καὶ κάρτα ἐν πολλῇ προμηθίῃ εἶχε, ἀπεθώμαζέ τε ὁρέων καὶ αὐτὸς καὶ οἱ περὶ ἐκεῖνον ἐόντες πάντες.* itaque mediae narrationi Delphicae verba modo commemorata et illud de Sardibus direptis colloquium insequens e fonte Lydio haustum intericere Herodotus coactus est. hanc narrationem manasse e memoria Lydia apparet cum ex eo, quod hoc loco et ingentes Lydorum divitiae illustrantur et Croesi sapientia Cyro obtrectans laudibus effertur, tum ex his verbis: *Πέρσαι φύσιν ἐόντες ὑβρισταί εἰσι ἀχρήματοι.*

c) Quamquam ab *a* ad *b*, a fonte Delphico ad fontem Lydium satis abrupte transitur (*ὁ μὲν ταῦτα ἔλεγε, Κῦρος δὲ αὐτὸν λύσας κάτισε* ... I, 88), tamen transitum a *b* ad *c*, retro igitur ad fontem Delphicum, factum esse magna cum arte nemo negabit. iam supra vidimus illa verba Cyri cap. 90 (*Κῦρος δὲ εἴρετο, ὅτι οἱ τοῦτο ἐπηγορέων* ...) continuare haec Croesi (I, 87): *αἴτιος δὲ τούτων ἐγένετο ὁ Ἑλλήνων θεός* . . .). quo modo hoc loco coniunctus est uterque fons? Cyrus prudentissimo consilio Croesi gavisus postulat, ut ille, quod velit, a se petat. tum Croesus ab eo petit, ut permittat, ut vincula Delphos mittantur [1]) et deus interrogetur, cur se deceperit. consilio igitur Croesi prudenti, quod continebat fons Lydius, probatur Croeso a Cyro dari veniam compedes Delphos mittendi. qui transitus artificiosus ascribendus est Herodoto ipsi, quod hinc concludi potest: fonte Delphico teste narrat Herodotus Cyrum, postquam deum Delphicum tam graviter accusaverit Croesus, ex eo quaesivisse, quae sit causa criminis. deinde Croesum omnia sua narravisse et dei vaticinia et donaria sua pretiosa. atque eum Cyrum oravisse et obsecravisse, ut sineret compedes Delphos mitti et deum interrogari. qua ex Delphica relatione exemit Herodotus mentionem compedum et has compedes fecit, ut vidimus, causam totius narrationis insequentis, quae continet etiam Pythiae responsum. sed non modo Croesi preces, sed etiam fides a Cyro data,

1) cf. adn. 1 pag. 11.

quamquam utrumque iam supra commemoratum erat, remanserunt intra narrationem Delphicam. qua ex duplici mentione precium et fidei videtur mihi apparere ambas fluxisse non posse ex uno eodemque fonte, sed potius Herodotum ipsum finxisse illum transitum. quod postulatur meo quidem iudicio etiam his verbis (I, 90): *ἀναρτημένου σεῦ ἀνδρὸς βασιλέος χρηστὰ ἔργα καὶ ἔπεα ποιέειν, αἰτέο δόσιν* . . . —

5) Hunc sermonem sequens narratio de vinculis missis, de Croesi nuntiorum quaestionibus, de Pythiae responso prolata monstrat rationem fontis Delphici. vincula forte vidit Herodotus, cum Delphis versabatur. responso Pythiae (I, 91) purgatur oraculum Delphicum, cuius rei valde eguit rebus Lydiis tam male gestis. responsum est accurate dispositum: 1) *τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγεῖν καὶ θεῷ*; 2) *ὅσον δὲ ἐνέδωκαν αὗται* (sc. *μοῖραι*) *ἤνυσέ τε* (sc. *Ἀπόλλων*) *καὶ ἐχαρίσατό οἱ*. a) *τρία γὰρ ἔτεα ἐπανεβάλετο τὴν Σαρδίων ἅλωσιν*. b) *δεύτερα δὲ τούτων καιομένῳ αὐτῷ ἐπήρκεσε*. deinde sequitur oraculorum explicatio. — quod Pythiae responsum artificiose formatum delet Schubertus putans sua addidisse Herodotum (*δεύτερα δὲ τούτων καιομένῳ αὐτῷ ἐπήρκεσε*)[1]. sed huic opinioni non assentimur, cum cognoverimus etiam a sacerdotibus Delphicis illam de rogo fabulam narratam esse. cum Schuberto consentit etiam Oerius (p. 14), qui etiam haec verba delere vult: *κατὰ δὲ τὸ μαντήιον τὸ γενόμενον οὐκ ὀρθῶς Κροῖσος μέμφεται· προηγόρευε γὰρ οἱ Λοξίης, ἢν στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας, μεγάλην ἀρχὴν αὐτὸν καταλύσειν. τὸν δὲ πρὸς ταῦτα χρῆν εὖ μέλλοντα βουλεύεσθαι ἐπειρέσθαι πέμψαντα κότερα τὴν ἑωυτοῦ ἢ τὴν Κύρου λέγοι ἀρχήν. οὐ συλλαβὼν δὲ τὸ ῥηθὲν οὐδ' ἐπανειρόμενος ἑωυτὸν αἴτιον ἀποφαινέτω*. nam hoc oraculum de regno perdendo datum non ex fonte Delphico

1) pag. 115: „Bei dieser Verteidigungsrede hat auch Herodot es sich gestattet, der Pythia ein wenig zu sekundieren: er führt nämlich unter den Wohltaten des Apollon auch den Regenguß an, obwohl derselbe in die delphische Überlieferung gar nicht hineingehört, sondern I, 87 ausdrücklich auf die Angaben der Lyder zurückgeführt wird. Wir sehen also, daß Herodot hier keineswegs so gewissenhaft verfährt, als man nach seinem sonstigen Verhalten anzunehmen berechtigt ist“.

fluxisse pag. 12 sq. probare studuit. trium Oerii causarum gravissima esse mihi videtur, quod hoc oraculum compositum est oratione pedestri. sed genuinum carmen casu ex Herodoti memoria excidisse puto, quamquam dici non potest illud oraculum apud Aristotelem proditum esse genuinum. hoc loco Schuberto assentior, qui hoc oraculum praebuisse fontem Delphicum putat. meo igitur iudicio totum caput e fonte Delphico manavit, quam sententiam etiam Benedictus [1]), Dunckerus [2]), Busoltus [3]) dixerunt.

Postquam fontes narrationis Herodoteae tractavimus, restat, ut eam comparemus [4]) cum Bacchylidea et statuamus, quibus ex causis illae, quae inter utramque narrationem exstant discrepantiae natae esse possint.

Quas quaestiones ut recte solvamus, paulo longius repetere liceat.

Octavo saeculo exeunte et imprimis septimo saeculo Graeci e patria emigrantes deducebant colonias, quas etiam nunc invenimus ad oras Ponti Euxini, ad Rhodanum flumen, in Africa, Sicilia, Cypria, multis aliis locis. unde commercium celebre ac frequens natum est non modo cum patria sed etiam cum omnibus orbis terris. quo modo Graeci cognoverunt populos alienos, eorum mores et consuetudines. praeter ceteros omnes his in rebus progressi sunt Iones, iidem fiebant duces iis in rebus, quae pertinent ad artes et literas [5]). quantopere novae illae res moverint Ionum

---

1) Benedict (de oraculis ab Herodoto commemoratis quaestionum pars I. Diss. Bonn. 1871) pag. 29: „nam (sc. I, 91) est commentarius quasi quidem oraculis additus“. „quae certe nemo dixit nisi ipsi sacerdotes Delphici neque cuiquam persuadere potuerunt nisi Herodoto vel alicui, qui ei par erat pietate erga deos“.

2) Duncker, Gesch. d. Alt. IV^5, 321.

3) Busolt, Gr. Gesch. II^2, 142.

4) cf. A. Nebe, Die Kroesussage; ein Stück Religionsgeschichte. Preuß. Jahrb. vol. 113 (1903) pag. 459.

5) Optime has res descripsit B. Erdmannsdörffer (das Zeitalter der Novelle in Hellas, Preuß. Jahrb. 25, p. 121) Graecas res comparans cum medii aevi, quod dicitur, rebus: „Wie aber hätte es nun anders sein können, als daß von diesem mächtigen Expansionsprozeß, der sich hier vollzog, die gesamte griechische Welt in ihrem geistigen Leben die

animos, docent huius aetatis libri, quorum fragmenta sola in manibus tenemus. illae deorum et heroum famae explicantur, carpuntur, vellicantur, denique confutantur. suum arbitrium, non auctoritatem traditam sequuntur homines. accedit quod natura ipsa investigatur et physicorum nova doctrina viget in Ionia. Graecia ipsa magna ex parte demum bellis cum Persis gestis pervenit ad veram ingeniorum libertatem [1]. nunc etiam in Graecia ipsa valere coepit rationalismus, qui dicitur. talibus autem temporibus antiqua illa fama, quae in firma deorum fide posita est, locum iam non tenere potest. qua pereunte nova narrandi forma, quae adhuc valde neglecta iamdudum viva voce hominum ferebatur, expandi potuit: novella, quae dicitur, quam nominavit Wilamowitzius: „Die jüngere Schwester der Sage“.

Quae est fabella vel quae dicitur novella? qua re differt a fama? optime U. de Wilamowitzius [2]: „Die Sage ist

bedeutendste Rückwirkung erfuhr, ganz ähnlich in allen allgemein menschlichen Grundbeziehungen der Einwirkung, welche die Kreuzzüge auf die Nationen des Abendlandes ausübten? Der Reiz bestrickender Neuheit, welcher das Geschlecht der Kreuzfahrer angesichts des erschlossenen Morgenlandes ergriff, konnte nicht größer sein, als der, womit jetzt der wandernde Hellene die Wunder des Nillandes erblickte, oder als der, womit bei dem lebhafter werdenden Verkehr nach Kleinasien hinein ihm etwa in Sardes die eigentümliche Fremdheit orientalischen Volks- und Fürstenlebens aufging. Der Anblick fremdartiger Religionsformen kam hier wie dort hinzu und mußte auch bei den Griechen jenen Zug geschärfter und bald skeptischer Reflexion über die religiösen Grundfragen wachrufen, wie wir ihn in weiten Kreisen der europäischen Gesellschaft im Zeitalter der Kreuzzüge beobachten . . . Die geschlossene Einheit griechischer Weltansicht ist damit durchbrochen, der Antrieb des Messens und Vergleichens ergibt sich von selbst. Es entspringt hieraus eine eigentümliche, aus bewundernder Hingebung und zurückhaltendem Selbstgefühl gemischte Stimmung . . . So stand in der Seele jedes Griechen fest gegründet das stolze Bewußtsein, daß er ein Hellene sei und jene anderen nur Barbaren; aber daneben übte dennoch der Zauber jener neuen glänzenden Welt seine unwiderstehliche Wirkung und reizte aus den verschiedenartigsten Motiven heraus zur Verehrung, zur Annahme, zur Nachahmung“.

1) Wilamowitz, Aristoteles und Athen II, 8.

2) Wilamowitz, Aristoteles und Athen II, 6 sq.

heilig und wahr, oder will es doch sein. Ihre Göttin ist die himmlische Muse, die Tochter des Zeus . . . Dagegen die Muse der Novelle: ἴσκεν ψεύδεα πόλλα λέγειν ἐτύμοισι ὁμοῖα. Irdisch wie sie ist, richtet sie ihren Sinn auf das Menschliche und auf die Gegenwart, aber da sie die Sage ablöst, zieht sie zunächst die Götter oder doch die lieben Vorfahren in ihre Kreise . . . Man erzählt von Bias und Thales, Krösus und Periander, Solon und Themistokles schöne Geschichten: aber keineswegs um ihrer Taten willen und des Erfolges, den sie für das Vaterland hatten, sondern um ihrer merkwürdigen Schicksale und ihrer persönlichen Tüchtigkeit willen . . . Geschichtlich lernen wir von der Novelle direkt kaum etwas, denn ihr ist nie zu trauen; aber wenn wir ihre Träger kennen, so wird der Reflex in der Novelle auch ihr geschichtliches Bild erhellen".

Praecipuus auctor huius aetatis est Herodotus. omnibus in eius operis partibus occurrunt ii loci, e quibus elucet, quantopere ille deditus fuerit rationalismo. non minus autem invenimus apud eum illas fabellas undique historiis insertas, quae potissimum operi suam gratiam dederunt. Herodotus est similis illis viris audacibus, qui olim in terras alienas migrantes ibi novas res cognoscebant et novas scientias sibi comparabant. domum reversi narrabant, quae viderant et audiverant. aliena cum domesticis comparantibus videbatur non nihil esse incredibile. qua de causa perfacile adducebantur, ut maiore scientia freti antiquis fabulis refutatis recentes narrationes substituerent. idem cadit in Herodotum: saepe rationalismo commotus est, ut confutaret atque irrideret narrationem miram adhuc ab omnibus creditam et in eius locum collocaret aliam fabulam, quam debebat fabulatori alicui. quam novam fabellam, i. e. novellam, persaepe continere incredibiliora non intellexit.

Redeamus ad Croesi exitii narrationem Herodoteam. primo quaestio oritur: narrationem Bacchylideam cognovitne Herodotus? quamquam Bacchylides nullo loco nominatur apud Herodotum, tamen verisimile est ei notum fuisse poetam, ut in Herodoto erat optima poetarum scientia.

quamquam eiusmodi narrationem, quam tradidit Bacchylides, recipere vix potuit Herodotus, quae plane abhorruit ab eius de Hyperboreis sententia [1]. equidem suspicor Herodotum non novisse illam historiam, qua narratur Croesus se ipsum comburere voluisse. sine dubio hanc praeposuisset illis, quae Cyro tribuunt grave illud facinus. nam Herodoti narrationes plane discrepant a rebus veris: Herodotus ipse depinxit alioquin longe aliam effigiem Cyri, qui magna clementia utebatur in reges subactos [2] et in Croesum ipsum [3]. praeterea ignem dei instar adorabant Persae, quas difficultates etiam Herodotus intellexit. nam facinus Cyri excusare studuit ratiocinatione satis contorta [4]. — quibus ex rebus concludi posse puto Herodotum non novisse Bacchylideam fabulam.

Restat, ut illos tres fontes, quos distinximus in Herodoti narratione et segregavimus, accuratius consideremus.

Vel ex his tribus narrationibus apparet, quantum in fabellis valuerit persona Croesi. certe non erramus ponentes multo maiorem, quam nos novimus fabularum copiam de Croesi fortuna vulgatam fuisse. quid miramur! Croeso potentiorem regem non cognoverunt Graeci sexto saeculo. ingentes divitiae ab omnibus celebrabantur. pretiosae opes a Croeso potissimum Apollini Delphico dedicatae permultum conferebant ad summam apud Graecos laudem. hic rex intra paucos dies delapsus erat a summo potentiae fastigio ad servitutem tristissimam, victus a rege adhuc vix noto. quae omnia maximam vim habuisse ad Graecorum et barbarorum animos commovendos consentaneum est. praesertim

1) cf. Her. IV 32: *Ὑπερβορέων δὲ πέρι ἀνθρώπων οὔτε τι Σκύθαι λέγουσι οὔτε τινὲς ἄλλοι τῶν ταύτῃ οἰκημένων, εἰ μὴ ἄρα Ἰσσηδόνες. ὡς δ᾽ ἐγὼ δοκέω, οὐδ᾽ οὗτοι λέγουσι οὐδέν. ἔλεγον γὰρ ἂν καὶ Σκύθαι, ὡς περὶ τῶν μουνοφθάλμων λέγουσι.* causam Herodoti dubitationum comperimus ex cap. IV, 36: *εἰ δέ εἰσι ὑπερβόρεοί τινες ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ ὑπερνότιοι ἄλλοι. γελῶ δὲ ὁρέων γῆς περιόδους γράψαντας πολλοὺς ἤδη καὶ οὐδένα νοονεχόντως ἐξηγησάμενον.*

2) cf. Busolt, II², 504.

3) cf. Her. I, 87 sq. aliosque locos.

4) cf. Her. I, 86: *ἐν νόῳ ἔχων* . . . . quae verba attulimus pag. 9.

si recte coniecimus nihil certi de Croesi fortuna comperiri potuisse. narrabatur de rogo, de vinculis, de miraculo et Cyri magnanimitate servantis Croesum et eum in amicorum numero recipientis. ita fieri potuit, ut varii de eius fato sermones etiam Herodoto noti essent.

1) De narratione Lydia: sine dubio etiam apud Lydos illa historia, qua Croesus ferebatur se ipsum comburere voluisse, narrabatur. sed paulatim hoc Croesi consilium iam non intellegebatur. accedit, quod Lydi, qui olim in numero gentium potentissimarum fuerant et societates inierant cum Babyloniis, Aegyptiis, Lacedaemoniis, magis magisque experti sunt humilitatem gloria patrum indignam, regis imperio subiecti et vectigales. quibus rebus natum est ingens Persarum odium, quo fieri potuit, ut Cyro crimini daretur, quod Croesum comburere voluisset[1]). Apollo[2]) intercessisse ferretur Cyrum commovens, ut hosti parceret. — etiam verba insequentia optime quadrant ad novellae rationem: natura regum describitur non verbis, sed factis: Croesus sapientem virum se praestat impediens, ne a Persis diripiantur Sardes. Cyrum autem fabulator Lydius multo iniquius descripsit[3]).

---

1) Eandem sententiam dixerunt Schröder (Berl. Philol. Wochenschr. 18 (1898) pag. 325) et Meiser (l. l. pag. 36).

2) Quod Apollo ipse servavit Croesum pertinere consentaneum est ad Lydorum famam, qui non ignorabant, quanti rex suus Apollinem aestimaret.

3) Simili ratione atque hoc loco de rogo etiam de Mida rege sententia mutata est in fabula. in illa apud Ovidium fabula (met. XI, 146—193) Midas vituperat iudicium Tmoli, qui in lite Apollinis et Panis illi palmam tribuit. Apollo autem multat stultitiam Midae mutans eius aures in aselli aures. — „Eine alte Quelle für diese Fabel ist uns nicht bekannt, und wir werden sie auch nicht voraussetzen dürfen. Daß der Persönlichkeit des Midas, dessen Namen eine Reihe bedeutender phrygischer Könige trugen, ursprünglich nichts Lächerliches anhaften konnte, liegt auf der Hand. Die Eselsohren gehören ihm von jeher an, das war feststehende Überlieferung, wie sich schon daraus ergibt, daß man noch auf andere Weise diese auffallende Mißbildung zu erklären suchte, vgl. Schol. Aristoph. Plut. 287. Es ist ohne weiteres klar, daß in der Auffassung derselben als Strafe für eine Dummheit nichts weiter als ein witziger Erklärungsversuch für eine den Griechen unerhört und

2) Delphis fabulam Croesi se ipsum sacrificantis notam fuisse supra vidimus. sed prudentes sacerdotes Delphici non repudiabant rumores trans mare currentes. primo inter omnes constabat Croesum vixisse etiam post regni interitum. quae res diluit illam fabulam Croesi ad Hyperboreos rapti. praeterea fabella Lydia, qua Cyrus imposuisse in rogum Croesum narrabatur, Graecis mox probabatur, praesertim cum bellis Persarum gestis Graeci de Persis inique iudicarent. memoria igitur Delphica ne repugnaret narrationibus apud Lydos et Iones vulgatis, quibus Graeci rationalismo, qui dicitur, dediti sine dubio maiorem fidem tribuerunt quam incredibili illi fabulae Apollinis Croesum ad Hyperboreos deducentis (cf. Her. locos p. 25 adn. 1 allatos), accommodata est fabellis Lydiis: ab Apolline servatum esse Croesum consentaneum est. — videmur igitur agnoscere, quomodo Delphica de Croesi exitio narratio paulatim commutata sit ad dei Delphici gloriam augendam: primo Iupiter imbri liberavit Croesum a rogo et Apollo Croesum suum transtulit. deinde memoria retractata Cyrus, Graecorum hostis, Croesum interficere voluit, sed Apollo eum eripuit e flammis. — Iupiter igitur submotus est, in eius locum deus Delphicus ipse successit. hanc mutationem non modo probabant, sed etiam postulare videbantur pretiosa illa donaria a Croeso Apollini dicata.

Ut omnes dubitationes tollerentur, ficta est fabula vinculorum, qua refutabantur querelae Apollinem accusantes et optime demonstrari potuit, quantis beneficiis Apollo affecisset Croesum. eadem fabula etiam data est occasio ex eventu componendi nonnulla vaticinia, quibus demonstraretur Apollinem in tempore monuisse Croesum, ita fit, ut rex suam culpam cognoscat, dei innocentiam.

Fabulam primariam Croesi se ipsum comburentis sacerdotes Delphici non sua sponte mutaverunt in hanc fabulam. nam causa probabilis cogitari non potest, qua commoti

---

lächerlich erscheinende Bildung erkannt werden darf". (Ernst Kuhnert, in Roscheri lexico II, 2 pag. 2957.) — Meiser exemplum similis mutationis affert Ionis fabulam, quam narravit Herodotus (I, 1).

facinus illud tribuerint Cyro. immo vero ponendum est eos comperisse hanc rem a testibus Lydiis.

3) Athenis laudem Cyri animi commutati attributam esse Soloni, qui sapientissima praecepta Croeso tradiderat, non miramur. quasi secum colloquens Croesus in rogo meminit Solonis. quo fit, ut Cyrus sapientia viri Atheniensis victus animum mutet et servet Croesum. καὶ δόξαν ἔσχεν ὁ Σόλων ἑνὶ λόγῳ τὸν μὲν σώσας, τὸν δὲ παιδεύσας τῶν βασιλέων (Plut. Solon, 28).

Haec fabella Attica sine dubio est una ex iis, quibus pulchriores cogitari non possunt [1]. Herodotus eam inseruit in rogi narrationem, ut supra vidimus. ex illo tempore artissime coniuncta est cum rogi historia. optime eam aestimavit Plutarchus [2].

IV. De Ctesiae [3] narratione.

Viginti trium librorum, qui inscripti erant Περσικά, conservata est epitoma sola in Photii bibliotheca tradita. quae pendet non a Ctesia ipso, sed a Pamphilae excerpto. cap. IV [4]) huius Photii excerpti satis exigui cognoscimus nonnulla de Lydorum regni exitu.

I. Argumentum.

1) Cyrus cum Amorga, rege Sacarum, Croeso bellum intulit. Oebarae consilio facta sunt lignea Persarum simulacra, quae Sardium incolis iniecerunt timorem. sic urbs capta est. accuratius descripta est haec expugnationis ratio a Polyaeno, quem infra tractabimus.

2) Ante captas Sardes Croesi filius traditus est pro obside. cuius filii mentionem fecit etiam Herodotus I, 34, 38, 85, quamquam alio modo. tamen agitur apud utrumque

1) cf. Erdmannsdörffer l. l. p. 293.

2) cf. Plut. Sol. cap. 27; cf. etiam infra pag. 49.

3) De Ctesiae vita et opere cf. Christ-Schmidt pag. 493 sq.

4) Mueller, Ctesiae fragm., ap. Dindorf, Herodotus, fr. 29, pag. 46.

de eodem filio. nam Croeso fuerunt duo filii (cf. Her. I, 34), quorum alter, cui nomen erat Atys, ab Adrasto necatus est. superfuit igitur hic unus, cuius de fortuna auctores varia referunt[1]. apud Ctesiam pro obside traditus est, cum, ut Photius rettulit, divinum quoddam somnium Croesum decepisset (*δαιμονίου φαντάσματος ἀπατήσαντος Κροῖσον*[2]). cum autem Croesus cum Cyro agens dolis uteretur, filius in illius conspectu interfectus est. mater haec videns ex muro se praecipitavit. Photius ita pergit: *καὶ οὐ θνήσκει ὅπως τε ἁλώσῃς τῆς πόλεως πρὸς τὸ ἐν τῇ πόλει ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος καταφεύγει, καὶ θνήσκει.* quae verba ita inter se coniuncta intellegi non possunt. quam ob rem mihi non displicet eorum ratio, qui illud *οὐ* ad alterum proximum *θνήσκει* transponunt, ut verba sint haec: *καὶ θνήσκει· ὅπως* (sc. *Κροῖσος*) . . . *πρὸς τὸ* . . . *ἱερὸν* . . . *καταφεύγει καὶ οὐ θνήσκει.* ita verba pertinent ad Croesi ipsius fortunam. error non magis mirus est tali in excerpto quam omissio vocis „Croesus" subiecto hoc loco commutato.

3) Croesus, postquam fugit ad Apollinis templum, ter vinctus et ter solutus est mirabiliter, quamquam templo sigilla apposita sunt et Oebarae custodia commissa est. Cyrus eos, qui cum Croeso erant vincti, necari iussit, quasi coniuravissent Croesi liberandi causa. deinde illum in arcem ductum maximis vinculis constringi iussit, sed rursus subsecuto fulgore tonitruque ille solutus est. tandem servatus cum humanitate receptus est a Cyro, qui ei dono dedit urbem Barenen prope Egbatana sitam.

II. De fontibus.

De ratione inter Ctesiam et duos alios auctores, qui easdem res tractaverunt, nonnulla verba fecit Photius cap. I: primum de Herodoto: *σχεδὸν ἐν ἅπασιν ἀντικείμενα Ἡροδότῳ ἱστορῶν* (sc. Ctesias), *ἀλλὰ καὶ ψεύστην αὐτὸν ἀπο-*

1) cf. praeter Her. I, 85 etiam Nic. fr. 68.

2) De his verbis satis obscuris adnotat Osiander (Stuttg. Progr. 1818 pag. 23): „probabile esse ad simulacra illa lignea panicum terrorem Lydis incutientia vocem referendam; quamquam superstitioni cuicumque Croesum deditum fuisse constat".

καλῶν ἐν πολλοῖς καὶ λογοποιὸν ἀποκαλῶν. Ctesias igitur cognovit Herodoti opus, quod corrigere studuit. quod nobis est summi momenti ad eos locos, quibus inter se differunt, recte aestimandos. etiam Xenophontis mentio facta est his verbis: *οὐχ Ἡροδότῳ δὲ μόνῳ τἀναντία ἱστορεῖ, ἀλλὰ καὶ πρὸς Ξενοφῶντα τὸν Γρύλλου ἐπ' ἐνίων διαφωνεῖ.* quibus ex verbis hoc unum sequitur, ut Ctesias nonnullis locis a Xenophonte discrepet, minime efficitur Ctesiam novisse Xenophontem et ei quoque repugnasse. Ctesias est aequalis Xenophontis, sed annis maior esse hoc videtur.

Photii testimonio supra allato videtur probari iniquum illud iudicium, quod tulerunt Christ-Schmidius et Ed. Meyerus [1]). quod in nonnullis rebus verum esse concedo, sed nobis cogitandum est Ctesiae adfluxisse narrationum copiam, cum per septendecim annos versatus sit in domo regis Persarum. ipse dicit de ratione sua res describendi haec (cap. I.): *φησὶ δὲ αὐτὸν τῶν πλειόνων, ἃ ἱστορεῖ αὐτόπτην γενόμενον ἢ παρ' αὐτῶν Περσῶν (ἔνθα τὸ ὁρᾶν μὴ ἐνεχώρει) αὐτήκοον καταστάντα, οὕτως τὴν ἱστορίαν συγγράψαι.*

1) Primam narrationis partem, quae est de Sardibus dolo captis, infra tractabimus [2]).

2) Altera pars, quae scripta est de regum pactionibus et de filii et uxoris morte, satis probabiliter ad originem Persicam referri potest. quae narratio veritatem prae se ferre mihi videtur. illud Ctesiae proprium consilium Herodoti corrigendi hoc loco non agnoscitur, cum hic nihil habeat, quod cum Ctesia comparari possit. huius narrationis ratio Persica cognoscitur e iudicio, quod de Croeso ipso fertur. alioquin in narrationibus Graecis et Lydiis Croesus se praebet regem pium et deis gratum, cuius virtutibus sapientia Graecorum sola praeponenda est, sed hoc loco illum cognoscimus virum versutum atque dolosum (*δολορραφοῦντος Κροίσου*). quod additum esse consentaneum est a Persis, qui adversario obtrectantes suum regem lau-

---

1) Christ-Schmid, pag. 494 et Ed. Meyer (Gesch. d. Alt. III, 7 sq.). Rectius iudicare videtur Prášek, Gesch. der Meder und Perser I, 176, qui confitetur etiam vera continuisse libros Ctesiae.

2) cf. uberius Polyaeni excerptum pag. 51 sq.

dibus tollere voluerunt. Persica origine fortasse sunt verba: *δαιμονίου φαινομένου ἀπορηθέντος*, quibus demonstretur regem Lydorum omnibus superstitionibus fidem tribuere.

3) Tertia parte narratur de Croesi ipsius fortuna, qua in parte quaerendum est, volueritne Ctesias hoc loco emendare Herodoti narrationem. quod negandum est. Ctesias hoc loco omnino non respexit Herodotum, alioquin praeterire non potuit illius narrationem a sua plane discrepantem, praesertim cum illa contineret tantum miraculum et talia prodigia Ctesiae placere soleant. — cognoscimus igitur novam memoriam, quam a ceteris discrepantem e fonte Persico fluxisse ex eo apparet, quod in rogi locum minor vinculorum poena substituta est, ut ea re illustretur Cyri clementia. quod ignis deest, ipsum quoque ad originem Persicam referendum est: nam ignem Persis esse deum Herodotus narrat I. 131 et III. 16; Croeso igitur combusto iniuria affectus esset deus ignis. qua de causa haec poena locum obtinere non potuit in fonte Persico. praeterea quod Croeso poena liberato Cyrus liberaliter concessit urbem Barenen, requirit fontem Persicum. item ad fontem Persicum apte refertur, quod accurate traditur numerus praesidii, quod fuit in illa urbe.

Cognovimus igitur Ctesiae narrationem — illa de Sardium expugnatione pars infra tractabitur — non fictam esse, sed e memoria Persica fluxisse: quam tantopere contractam esse a Photio dolemus.

Nunc narratio Ctesiae ipsa accurate examinanda est. Comparantes eam cum fabulis supra tractatis miramur, quod hoc loco plane desit rogus. sed haec res habere potest nihil offensionis. nam eam rem, quod Croeso in animo fuit se ipsum in rogo sacrificare deis, Persas omnino non comperisse consentaneum est, cum haec res evenisse non possit coram Persarum exercitu. rogus autem, in quem Croesum impositum esse a Cyro fama erat, commemorari omnino non poterat, quia huic fabulae subest nihil veri. praeterea ut supra vidimus, ignis Persis dei instar erat et huius modi facinus repugnabat illi Cyri clementiae,

quam praebuerat non modo erga alios reges subactos, sed etiam erga Croesum ipsum. - pro rogo igitur substituta est vinculorum poena. iam quid spectant illa vincula [1]) et illa liberatio? ut res aliqua inopinata explicaretur, qua Cyrus adductus est, ut Croeso veniam et impunitatem daret. videmus igitur consentire auctores de Cyri animi commutatione inopinata, sed variis fabellis eam explicare. Ctesiae fabulam Persicam haustam non esse e commentariis regiis, quibus se usum esse Ctesias dixit, sed e Persarum fama nemo negabit.

V. De Xenophontis narratione [2]).

Xenophontis expositionem perpaucis verbis tangit Schubertus [3]), cum illa posita sit in Herodoto solo quem saepe commutaverit ex libidine auctor. sed ad nostram quaestionem aliquid confert Xenophon, quod hoc loco res ex libidine commutatas exigere possumus ad fontem. inutile igitur non est hanc narrationem perscrutari.

Relationem Xenophontis perlegentes animadvertimus neque fabulae Croesi in rogum impositi neque alius huius modi poenae inveniri ullum vestigium. recte adnotat Schubertus hoc loco (p. 119): „Wenn Xenophon die Scheiterhaufenszene streicht, so tut er dies nicht etwa nach dem Vorgange irgend einer Quelle, wie man hat behaupten wollen, sondern nur deshalb, weil sie mit seiner Charakteristik des Cyrus sehr schwer in Einklang zu bringen ist“. inde quod alia poenae ratio omnino non invenitur, probari mihi videtur Xenophontem hac in re non secutum esse ullum testem, sed ipsum commutavisse historiam, quam ei praebuit Herodotus, quod cum sua Cyri imagine non conveniebat.

1) Vinculorum mentio fit etiam ab Herodoto, sed alia atque hoc loco ratione; cf. pag. 9.

2) Xenoph. Cyrop. VII, 2.

3) cf. Schubert pag. 107 et 119.

1) § 2—4: De Sardium obsidione et expugnatione Xenophon haec tradidit: Cyrus ante muros paravit omnia, quasi urbem oppugnare vellet, sed iam insequente nocte mediis in apparationibus muros ascendi iussit duce servo loci perito. Lydi in omnes partes fugerunt, ut Cyrus prima luce ingredi posset urbem. — haec narratio manavit ex Herodoti I, 84. sed etiam hoc loco Xenophon ad Cyri laudem augendam fontem correxit. primo tacet Sardium moenia frustra oppugnata esse a Cyro. deinde apud Herodotum quidem aliquis Mardus servus murum sua sponte ascendens efficit, ut Sardes expugnentur, sed Xenophonteus Cyrus ipse praeest Persis et Chaldaeis servo duce ascendentibus muros loco praeruptissimo; itaque Herodotea illa de Mardo fabula omissa est.

2) § 5—14: a) Croesus in regiam domum se incluserat. Cyrus autem custodibus Croesi relictis, cum milites suos recenseret, vidit Persas quidem ordine officiis uti, Chaldaeos autem contra iussum suum urbem diripere. cum perturbationem et immodestiam maxime nocere exercitui persuasum haberet, imperator prudens statim emisit Chaldaeos ex exercitu. qui eum imploraverunt, ut ignosceret; sua sponte se tradituros esse opes direptas. sed magno animo hoc Cyrus repudiavit; immo traderent praedam militibus oboedientibus, ut fructum fidei caperent. quod ilico exsecuti sunt Chaldaei.

b) Cyrus, cum vetuisset milites urbem Sardium diripere, hoc compensare voluit aliquo modo. qua de causa consuluit Croesum dicens milites suos, qui multis proeliis commissis urbem praeter Babylonem Asiae opulentissimam expugnavissent, praemium laborum ferre necesse esse, ut etiam posthac oboedientes manerent. sed se in animo non habere permittere, ut urbem diriperent. nam sapiens rex putabat non modo urbem perituram esse, sed etiam diripientium pessimum quemque plura adepturum esse. cui sententiae assensus est Croesus: se Lydis dicere velle Cyrum precibus suis commotum destitisse urbem diripere, sed se promisisse Lydos oblaturos esse optimas opes sua sponte. ita urbi temperatum et artes, divitiarum fontes,

ab interitu servatum iri, et facultatem diripiendi restare, si Sardenses nimis parvas opes conferrent. primum autem suas opes acciperet. — quae consilia comprobavit Cyrus.

Etiam hac in parte Xenophon Herodotum secutus est testem solum, quamquam magnae discrepantiae exstant a narratione Herodotea. sed spectandum est Xenophontem non historicorum, sed fabularum scriptorum more composuisse opus. itaque hoc in libro, quo Cyrus celebratur, multis locis narrationem Herodoteam commutavit ad maiorem Cyri et Persarum laudem: Cyrus militibus Sardes tradere non vult diripiendas; attamen Chaldaei, non Persae spoliant urbem; permagnae orationes directae a Xenophonte insertae sunt, e quibus eluceant Cyri prudentia et clementia. praeterea a Croeso Herodoteo ad Cyrum Xenophonteum translatum est meritum urbis servatae.

3) § 15—29: Hac in parte Xenophon narrat totum Croesi cum oraculo Delphico commercium. statim quaestio oritur, quae ratio intercedat inter Herodoti et Xenophontis narrationes. Herodotus quidem hoc in Cyri et Croesi colloquio exponit, quomodo crimina Croesi refutaverit Pythia. totum Croesi cum oraculo Delphico commercium ut tractaret tam copiose, Xenophon commotus esse videtur his apud Herodotum (I, 90) verbis: *Κροῖσος δέ οἱ ἐπαλιλλόγησε πᾶσαν τὴν ἑωυτοῦ διάνοιαν καὶ τῶν χρηστηρίων τὰς ὑποκρίσιας καὶ μάλιστα τὰ ἀναθήματα καὶ ὡς ἐπαρθεὶς τῷ μαντηίῳ ἐστρατεύσατο ἐπὶ Πέρσας.* Herodoto, cum iam antea (I, 46—56) has res accurate narravisset, nihil aliud necesse fuit nisi haec commemorare; sed Xenophonti oracula referenda erant, cum alio loco non invenirentur apud illum.

Iam vero inter auctores exstant magnae diversitates. qua de causa singula oracula examinemus!

Ab utroque auctore proditae sunt tres Croesi interrogationes. prima pertinet apud utrumque ad eandem rem: dei Delphici veritas tentatur.

Ceterae autem inter se differunt: apud Her. I, 53 Croesus Pythiam interrogat, *εἰ στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας Κροῖσος καὶ εἴ τινα στρατὸν ἀνδρῶν προσθέοιτο φίλον*; apud Xenophontem autem deus interrogatur, quid facienti Croeso

futura sit stirps virilis. ut quaestiones inter se distant ita etiam dei responsa. — quamquam haec quaestio Xenophontea abhorret ab Herodotea, tamen artissime cohaeret cum oraculo ab Her. I, 85 de muto filio tradito et cum illa de Atye et Adrasto narratione Herodotea.

Tertia interrogatio est apud Herodotum I, 55: *ἐπειρώτα δὲ τάδε χρηστηριαζόμενος, εἴ οἱ πολυχρόνιος ἔσται ἡ μουναρχίη.* Xenophon autem illam hoc modo prodit: *ἐπηρώτων τὸν θεὸν τί ἂν ποιῶν τὸν λοιπὸν βίον εὐδαιμονέστατα διατελέσαιμι.* quamquam Croesi interrogationes ab utroque auctore relatae fortasse inter se coniungi possunt — altera pertinet ad regnum futurum, altera ad vitam futuram —, tamen dei responsa vehementer inter se differunt: Herodoto teste Pythia monet Croesum, ut caveat mulum regnum Persarum adepturum, his verbis significans Cyrum, qui filius fuit *μητρὸς ἀμείνονος, πατρὸς δὲ ὑποδεεστέρου* (I, 91). secundum Xenophontem autem Pythia fecit illa verba sapientia:

Σαυτὸν γιγνώσκων εὐδαίμων, Κροῖσε, περάσεις.

Hoc igitur loco exstat magna discrepantia. fortasse haec difficultas solvitur illo apud Xenophontem responso. versus quidem proditus redolere videtur oraculum genuinum. sed talia verba ficta esse videntur temporibus Xenophontis ipsius, quibus illud *γνῶθι σαυτόν* celebrabatur. — cui debet Xenophon hanc sententiam? verisimillimum est ipsum tribuisse Pythiae hoc oraculum. totum enim opus quasi perfusum est cogitationibus Socraticis, quas effigiei Cyri veri additas esse a Xenophonte consentaneum est, cum ipse in numero Socratis discipulorum fuerit. huc accedit, quod eadem sententia etiam alioquin exstat apud Xenophontem. memorabilium libro IV. cap. 2, 24 legimus illud *γνῶθι σαυτόν*, etiam hoc loco coniunctum cum Delphis. — unde elucet huius sententiae peritissimum fuisse Xenophontem, qua de causa etiam hoc oraculum ei ascribendum est. illa verba autem incisa in templo Delphico (mem. IV, 2, 24) eum movisse puto, ut oraculum hanc sententiam proferens faceret. versum composuisse Xenophon ipse videtur.

Quae omnia comprehendentes statuamus Xenophontem debere Herodoto et causam et formam huius narrationis, ceterum autem modo cum maiore modo cum minore libertate tractavisse commercium inter Croesum et oraculum Delphicum habitum.

De narratione ipsa et ratione ad reliquas pertinente disputare superfluum est, cum, ut vidimus, Xenophon plane pendeat ab Herodoto, cuius narrationem supra accurate examinavimus.

VI. De Diodori narratione [1]).

Diodori narratio multum valet propterea, quod hic auctor ipse nihil addidit, sed satis habuit archetypum reddere breviore et aptiore forma [2]).

1) cap. 2, 3 et 4: Diodorus postquam rettulit illud Solonis et Croesi colloquium et narravit illius de vitae beatitudine dictum, memoriae tradit Croesum postea, cum a Cyro captus in rogo positus sit, recordatum horum Solonis verborum nomen sapientis exclamasse. quod audiens Cyrus consilio mutato rogum exstingui iussit. — hanc narrationem Ed. Schwartzius (l. l. p. 678) recte tribuit tractationi septem sapientium rhetoricae, quae subsit in cap. 1—15 [3]). quae

1) cf. Diod. IX, 2, 3 et 4; IX, 33 et 34.

2) cf. Wachsmuth, Einl. in d. Stud. d. alt. Gesch. 81 sq. A. de Mess, Untersuchungen über die Arbeitsweise Diodors, Rh. M. 61 (1906) pag. 244 sq. Wendland, die griech. Prosa; apud Gercke-Norden, Einl. in d. Altertumswiss. pag. 371. Ed. Schwartz, ap. Pauly-Wissowa V, 1 pag. 663 sqq.: „Diodors Bibliothek ist und will nichts anderes sein als eine Serie von Exzerpten, die dem Leser die zeitraubende und kostspielige Lektüre der großen Werke ersparen sollen". „Der Wert beruht darin, daß die eigene Arbeit des Verfassers so gering bewertet werden muß: kein Kompilator der vorbyzantinischen Zeit gibt ein verhältnismäßig so treues Bild von seinen Vorlagen wie Diodor".

3) cf. etiam Wilamowitz, Arist. u. Ath. I, 266. — Ad. Bauer (die Benutzung Herodots durch Ephoros bei Diodor, N. Jhrb. f. Philol. Suppl. 10, 333) hanc partem pendere ab Herodoto probare studuit. quam sententiam sequi non possumus. primo Ed. Schwartz docuit cap. 1—15

narratio Diodorea in omnibus partibus consentit cum ea, quam recuperavimus e relatione Herodotea: quare nostra opinio probatur (cf. p. 14 sqq.) narrationes exstitisse, quae proderent fabulam Croesi Solonis verbis servati adiunctam illi de colloquio Croesi et Solonis historiae. narrationes huius modi Athenis ortas esse apparet. quam ob rem eum fontem, cui Herodotus debuit narrationem suam, supra significavimus fontem Atticum. posteriore aetate haec fabula vulgata saepe tractata esse videtur, cum in rhetorum scholis, tum in libris ad usum popularem scriptis. quali ex corpore etiam Diodorum hausisse puto relationes suas.

2) IX, 33, 2: Diodorus refert Croesum ante bellum Delphos misisse nuntios, qui interrogarent, quomodo filius mutus vocem recipere posset; Pythia respondet iisdem versibus, quos iam supra cognovimus (Her. I, 85). — ad proximum Diodori fontem recte aestimandum multum valet ea res, quod altera illa Her. I, 85 pars, qua de filio mirabiliter sanato narratur, deest apud Diodorum. non dubito, quin ille, cum historiis huius generis praeter ceteras studeret, huius fabulae excellentis non obliturus fuerit, si fons illam continuisset. quam ob rem Diodorum hausisse puto e libro, in quo narratio Herodotea retractata est ab auctore rationalismo, qui dicitur, dedito, quem talia incredibilia silentio praetermisisse apparet. de aetate huius fontis aliquid certi dici non potest.

---

huius libri sumpta esse e descriptione septem sapientium rhetorica, quo ex corpore haec historia evelli non potest. praeterea narratio ipsa repugnat huic opinioni. Bauerus enim putat Diodorum omisisse fabulas, quae sunt de Tello et de Cleobi Bitoneque. sed Diodori testem eas omnino non rettulisse pro certo habeo nam pag. 15 probavimus etiam Herodotum e fonte suo hausisse eam tantum fabellam, qua narratur Solo collocutus esse cum Croeso de vitae felicitate et Croesus in rogum impositus meminisse huius sermonis. Herodotus ipse fabellas Telli et Cleobis Bitonisque inseruit narrationi. hac igitur relatione Diodorea non modo nostra sententia, quam supra statuimus, comprobatur, sed etiam Baueri confutatur. denique, quod Diodorus duobus locis eadem de re refert atque ratione diversa — id quod infra videbimus — Baueri sententiae obstat.

3) IX, 33, 4: Hoc fragmento Diodorus refert Herodoto teste illam fabulam, qua narratur, quomodo Cyrus Croesi verbis commotus prohibuerit milites urbem diripere.

4) IX, 34: Cyrum pium putavisse Croesum, quod imber defluxerit et flammas exstinxerit, et memoriam Solonis verborum retinuisse et illum honeste secum duxisse. etiam sivisse eum Croesum interesse consiliis, cum utile esse putaret cum bonis et sapientibus viris quam plurimis vivere. — etiam haec fluxerunt ex Herodoti opere.

Diodorus duabus in partibus ultimis (3 et 4) illam rogi fabulam, etiamsi paucis verbis identidem commemoravit, quamquam IX, 2 accurate eam tractaverat; quod explicatur, ut etiam Ed. Schwartzius putat, ex eo, quod diversos testes secutus est Diodorus. clarius haec fontium differentia intellegetur, si narrationes inter se comparaverimus: altera, quam rettulimus ad memoriam Atticam, nescit Apollinem imbri servasse Croesum; qui ereptus est e flammis commutatione Cyri animi sola. sed in altera, quae ex Herodoto fluxit, imbris Apollinis mentio est facta.

Num relationes (sub 2, 3, 4 commemoratas) hauserit Diodorus ex Ephoro, qui duobus fragmentis exiguis [1]) quaedam tangit, quae inveniuntur etiam apud Diodorum IX, 26 et 32 (v. Ad. Bauer, l. l. p. 335 et Ed. Schwartz, l. l. p. 679), decerni non potest in tanta exiguitate Ephori fragmentorum.

VII. De Nicolai Damasceni [2]) narratione [3]).

I. Argumentum.

1) Quamquam Cyrum ipsum Croesi fortunae miserebat, tamen Persae illi rogum struxerunt in valle supposita

1) cf. Mueller fr. hist. Gr. I, p. 252 (fr. 100 et 101).

2) cf. Susemihl, Gr. Lit. in d. Alexandrinerzeit II, 309—321; Wendland, l. l. pag. 371.

3) cf. Nic. Dam. fr. 68 ap. Muell. III, 406 sqq.; excerpta hist. imp. Constant. Porph. confecta II, 1 pag. 345, cap. 27.

editissimo loco, ex quo erant omnia spectaturi. postquam Cyrus cum universo exercitu et maxima turba et civium et peregrinorum adfuerunt, Croesus cum quattuordecim proceribus adductus est. quod cum viderent, ingenti luctu ac dolore commoti sunt non modo Lydi, sed etiam multi alii, qui subditorum erga illum benevolentiam admirabantur. sed quamquam hi ululatum ac gemitum sustulerunt, Croesus ipse oculis siccis incedebat.

2) Qui cum usque ad Cyrum pervenisset, ab eo petivit, ut filius mutus adduceretur. conspicatus filium, quem multi aequales secuti sunt, in fletum solutus est. tum hoc die vitae infelicissimo secundum illud oraculum filius mutus vocem recepit. qui postquam a deis auxilium petivit frustra, Persas se ipsum eodem rogo concremare iussit. quod Croesus repudiavit: solum se bellum intulisse. filius autem a patre discedere noluit, cum spes vitae sibi adhuc non superesset. sed pater ei, cum esset iuvenis, longam vitam superesse dicens eum admonuit, ne fiduciam in deorum numine positam abiceret. interea complures ancillae vestes pretiosas et plurima omnis generis ornamenta, quae miserant Lydorum matronae, attulerunt. Croesus filium et reliquos Lydos circumstantes deosculatus in rogum ascendit. filius iterum auxilium deorum exposcens vix retineri potuit, ne patrem sequeretur in rogum.

3) Interim vero Sibylla e sublimi quodam loco progressa carmine Persas admonuit, ut a scelere desisterent. quamquam Cyrus Persis exponi oraculum iussit, tamen Persae monita Sibyllae neglegentes rogum incendebant.

4) Deinde omnibus silentibus Croesus ter Solonem appellare coepit. Cyrus haec audiens flevit, cum facinus indignum committere se, qui regem nihilo inferiorem se ipso cremaret, intellexisset. tum demum Persae regem suum maestum videntes, conturbati rogum exstinguere Cyri iussu coeperunt.

5) Cum autem vim flammae opprimere non possent, Croesus Apollinis opem precatus esse dicitur. tum forte erat tempestas a primo solis ortu. dispersis nubibus subito coniunctis ingens imber cum tonitruis et fulminibus de

caelo deiectus est, ut ignis exstingueretur. Persas autem timor ac metus incesserunt, ut Sibyllae vaticinia et Zoroastris oracula in mentem redirent. itaque clamabant multo magis quam antea, ut Croesus servaretur. sunt, qui dicant Thaletem illam tempestatem praedixisse Croeso. at Persae exinde Zoroastris praeceptis parebant diligenter.

6) Cyrus cum illum in regiam duxisset, eum hortatus est, ne, si quid vellet, poscere dubitaret. qui ex eo petivit, ut permitteret, ut compedes suae Delphos mitterentur et Apollo rogaretur, quid causae fuisset, cur oraculis se decepisset. quibus auditis Cyrus et haec et alia se concessurum spopondit. ac Croeso in amicitiam brevi recepto filios et uxores restituit, ipsum secum abduxit; quin etiam praefecturam Sardium illi traditurus fuisse dicitur, nisi veritus esset, ne Lydi novis rebus studerent.

II. De fontibus.

Nicolaus Damascenus simili atque Diodorus ratione e fontibus hausit: uterque polyhistor artissime secutus est testes. quamquam confitendum est Nicolaum summam operam posuisse in artificiosa, i. e. rhetorica retractatione fontium. quod potissimum in fontibus explorandis spectandum est.

Eis in partibus, quae sunt de Lydiae rebus, Nicolaus maxime Xantho teste usus est [1]. sed Nicolaum etiam hoc in fragmento Xanthum secutum esse, reliquiis Xanthi operis effici non potest, cum vestigia huius historiae sub Xanthi nomine prodita non exstent. quam ob rem Schubertus negavit Nicolaum alio ex fonte hausisse atque ex Herodoto. cui opinioni accesserunt multi viri docti [2]. pauci autem Nicolai testem putare videntur etiam hoc loco Xanthum [3].

Praeter Xanthum Herodoti narratio sola ita adhibita

1) cf. pag. 56.

2) Schubert, l. l. pag. 120; Wachsmuth, l. l. 464; Ed. Meyer, Gesch. d. Alt. I^1, 604; Busolt, l. l. II^2 451.

3) Ed. Meyer (Forsch. I, 167), qui hoc loco dicit: „Nikolaus Damaszenus kontaminiert in der Krösusgeschichte Herodot und Xanthus, dem letzteren folgt er im wesentlichen". — Susemihl, l. l. II, 316.

fuisse videtur, ut rhetoricis coloribus exornaretur. nam ceteri omnes, quos adhuc cognovimus, auctores tantopere a Nicolao differunt, ut nullo modo comparari possint cum hac narratione.

Cum autem Xanthi relationis vestigia non conservata sint, ab Herodoti narratione proficisci coacti sumus.

A. De locis, quibus utraque narratio consentit.

1) Apud utrumque auctorem Solonis mentio fit. sed accuratius spectantes cognoscimus narrationes inter se in eo differre, quod haec fabula, quamquam apud Herodotum est prius historiae rogi culmen, apud Nicolaum obtinet parvum tantum spatium.

2) Apud utrumque cogitat Cyrus, si regem cremet, committere se facinus indignum.

3) Deinde et ab Herodoto et a Nicolao pariter narratur, quo modo servatus sit Croesus: Persis rogum exstinguere frustra conatis Apollo Croesi precibus commotus misit ingentem illum imbrem.

4) Denique uterque descripsit eadem ratione Croesum a Cyro petivisse, ut compedes suae Delphos mitterentur et deus interrogaretur, cur se oraculis fefellisset; id quod Cyrus non repudiavit.

B. De locis, quibus utraque narratio inter se differt et quibus Herodoti caret.

1) Nicolai fr. 68 initio copiose exponitur situs rogi, deinde narratur Cyrum universo cum exercitu adfuisse et magnam turbam tum civium tum peregrinorum cum gemitu secutam esse regem Lydorum.

2) De Croeso ipso dicit Nicolaus: *αὐτὸς δὲ ἄδακρυς προσῄει καὶ σκυθρωπός.*

3) Croesi filii mentio a Nicolao fit longe aliter atque ab Herodoto. qui quidem rettulit fortunam Croesi filii, sed extra rogi historiam. apud Herodotum ille recepit vocem eo tempore, quo Persarum aliquis Croesum necare voluit Sardibus captis. sed apud Nicolaum illud oraculum aliter evenit, ut vidimus.

4) Apud Nicolaum scriptum est ancillas pretiosa omnis generis ornamenta Lydorum matronarum ad rogum attulisse.

5) Dum Croesus in rogum conscendit, Sibylla in conspectum venit, quae Persas carmine admonuit, ut desisterent a scelere, quae res omnino non commemoratur ab Herodoto.

6) Apud Herodotum cognosci non potest, quo temporis puncto incensus sit rogus. post longam illam Croesi narrationem de Solonis commercio suo prolatam inveniuntur haec tantum verba: . . . *τῆς δὲ πυρῆς ἤδη ἁμμένης καίεσθαι τὰ περιέσχατα.* apud Herodotum igitur gravis illa res est valde obscura. aliter apud Nicolaum: *ὁ δὲ ἤδη ἐπὶ τῆς πυρᾶς καθῆτο, καὶ σὺν αὐτῷ δὶς ἑπτὰ Λυδῶν· ἐν κύκλῳ δὲ Πέρσαι δᾷδας ἔχοντες ἧπτον.*

7) Herodotus imbrem ab Apolline missum defluere de caelo sereno dilucide dicit. Nicolaus autem scribit haec: *χειμὼν δ' ἔτυχε τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἐξ ἠοῦς, οὐ μὴν ὑετός γε.*

8) Herodotus narrat, de magno imbri, quo rogus exstinctus sit. Nicolaus autem copiose exponit, quantopere Persae moti sint ingente illo imbre. quibus verbis addit haec: *φασὶ δέ τινες Θαλῆν προιδόμενον ἔκ τινων σημείων ὄμβρον γενησόμενον καὶ ἀναμένειν τὴν ὥραν ἐκείνην.*

9) Denique memoriae prodit Nicolaus Zoroastris praeceptis ex illo tempore diligenter obsecutos esse Persas.

Quas omnes varietates Nicolai narrationis Schubertus (l. l. pag. 122) nominat „Ausschmückungen und willkürliche Umgestaltungen des Herodoteischen Berichtes". — Nicolaum Damascenum rhetorice retractavisse et hac in re saepe libidine commutavisse fontes suos nemo negat. lenocinia rhetorica puto, ut nonnulla ex multis afferam, hoc locos: *πάντες οἰμωγῇ καὶ στόνῳ ἀνέκλαυσαν καὶ ἔπληξαν τὰς κεφαλάς. τοσοῦτος δ' ἐκ τοῦ ὁμίλου κωκυτὸς . . ., ὁπόσος οὐδὲ ἁλισκομένης τῆς πόλεως. γυναικῶν δὲ ἡγεῖτο πληθὺς μυρία μετὰ κομμοῦ ὀλυλογῆς.* maxime autem rhetorice interpolata sunt fragmenti initium et imbris descriptio, inprimis ea pars, qua narratur, quomodo filius mutus sanatus sit: quis non cognoscit directas illas orationes inter patrem et filium habitas prae se ferre genus dicendi grande, quod est proprium rhetorum illius aetatis.

Sed hae immutationes generis scribendi gratia factae minime demonstrant Nicolaum ex Herodoti tantum narratione hausisse. quomodo Nicolaus fecisse ingens opus putandus est? plerumque ille ex uno fonte hausit; sin autem complures fontes praesto erant, eos contaminavit, ut Ed. Meyerus recte dicit. sed ut fontes exploraret et memoriam mutaret iis locis, ubi testis certus — qualem maxime Herodotum putavisse eum necesse est — ei aderat, tempus eum defecit. Herodoto igitur si usus esset fonte unico, illum secutus esset etiam in omnibus partibus. brevi enim tempore — intra quattuordecim annos — universas orbis terrarum res 144 libris divisas descripsit. quam cito opus composuerit, ex eo sequitur, quod agnoscitur neglegentia quaedam velut hac in Croesi historia eo loco, quo Croesus ter nomen Solonis exclamat. quamquam Herodotus illam exclamationem uberius fere explicaverat, tamen Nicolaus sine ulla causarum mentione Cyrum maestum induxit. si diligentior fuisset, hunc errorem effugisset.

Deinde ii, quibus Herodotus esse fons Nicolai unicus videtur, neglegunt filium Croesi mutum ab Herodoto commemoratum esse non intra rogi historiam, sed ante illam (I, 85). saepe etiam singula accurate exponuntur, quae omnia vix appellari possunt rhetorica ornamenta „eines nach Effekt haschenden Schriftstellers". exempla sunt haec: *ἔνησαν πυρὰν Κροίσῳ ὑπό τινα ὑψηλὸν τόπον . .; αὐτὸς δὲ ἄδακρυς προσῄει καὶ σκυθρωπός; Κροίσῳ μὲν οὖν ταχὺ στέγασμα πορφυροῦν ὑπερέτεινον; . . . καταπατουμένοις ὑπὸ τῶν ἵππων, τραχυνομένων πρὸς τὸν ψόφον τῶν βροντῶν.* — Schuberti sententiam multis in partibus parum verisimilem esse adhuc cognovimus. cadit autem eius opinio Sibyllae mentione, quae fit a Nicolao solo. versus memoriae proditos sine dubio non fecit Nicolaus [1]. unde hos sumpsit Nicolaus?

---

1) Quod etiam Schubertus concedit his verbis (pag. 124): „Zu den auf Grund der Herodoteischen Erzahlung zurechtgemachten und daher fur uns ganz wertlosen Angaben tritt als wirklich neuer Bestandteil in dem Fragment ein Bericht uber das Erscheinen der Sibylla hinzu. Daß derselbe nicht von Nikolaus erfunden ist, kann man besonders aus der Mitteilung der von der Sibylla gesprochenen Verse ersehen".

pro certo habeo hunc locum fluxisse e Xantho. Schubertus quidem hanc opinionem improbat [1]).

Id quidem recte Schubertus dixit nullum huius historiae vestigium sub Xanthi nomine traditum inveniri. sed fortasse alia via probari potest etiam hanc rerum Lydiarum partem descripsisse Xanthum [2]): partitione operis, cuius liber quartus, quamquam ceterae omnes Lydiae res tractatae sunt tribus libris, res Croesi gestas solas continebat [3]). praeterea nostrae sententiae videtur opitulari Nic. fragmentum 65 [4]), quo bellum, quod Alyattes, Croesi pater, contra Cares gessit, refertur. et alii praefecti et Croesus milites conducere iubentur. hoc fragmento narratur, quo modo Croesus adulescens pecuniam ad delectum necessariam sibi comparaverit. quae narratiuncula apud Herodotum omnino non invenitur. quin etiam bellum Alyattis contra Cares gestum ne commemoratur quidem in numero Alyattis bellorum, quae cap. 16—22 continent. inter gentes regno Lydorum subiectas Cares enumerantur tantum ab Herodoto.

Quo ex fragmento apparet eo opere, ex quo haec narratio derivata est, vitam et res Croesi gestas copiosissime descriptas esse. num opus, quo Lydiae res tractatae sunt tanta cum diligentia, nobis tam ignotum esse potest, ut non modo nullum vestigium, sed ne nomen quidem auctoris habeamus? itaque fons huius Nicolai fragmenti nobis putandus est Xanthus. ratio narrandi, descriptio rerum minorum, maxime memoria nominum propriorum, velut mercatorum, optime consentire cum Xantho mihi videntur. — si igitur Xanthum auctorem huius historiae putamus, ex hoc fragmento illum Croesi historiam componere coepisse

1) „An Xanthus zu denken haben wir um so weniger Grund, da wir gar nicht wissen, ob derselbe überhaupt von der Scheiterhaufenszene in seinem Geschichtswerk erzählt hatte“.

2) Hachtmann (de ratione inter Xanthi Lydiaca et Herodoti Lydiae historiam; Pr. Hall. 1869) pag. 13 etiam eo processit, ut ex Strabonis loco (I, 46) colligeret „Xanthum res quoque sua aetate factas descripsisse“.

3) Gutschmid, kl. Schr. IV, 312.

4) = Exc. Const. II, 1 pag. 344.

apparet. ex operis partitione illum universas Lydiae res descripsisse apparet.

Sin autem hoc uno Nicolai loco alium fontem praeter Herodotum accepimus, id quod etiam Schubertus concedit, quid probabilius est quam etiam ceteras ab Herodoto discrepantias ad eundem auctorem referendas esse? ac si Xanthum res Croesi gestas descripsisse persuasum habemus, Nicolaum Damascenum eadem ratione, qua antea secutus est Xanthum, etiam hoc loco usum esse gravissimo illo teste putare cogimur.

Restat, ut perscrutemur, quomodo Nicolaus Herodoti et Xanthi narrationes contaminaverit. imprimis secutus est Xanthum, cuius narrationi inseruit partes relationis Herodoteae. qua in re duo potissimum loci respiciendi sunt: Solonis mentio et rogus Apollinis imbri exstinctus. — fabellam Solonis Herodoteam Nicolaus praetermittere noluit. sed cum rogus iam incensus esset, totam de Croesi et Solonis commercio narrationem Herodoteam recipere non potuit. itaque eam omisit et sine ulla explicatione Cyrum lacrimantem (ap. Her. *μεταγνόντα*) induxit atque cogitantem facinus indignum committere se, qui Croesum cremaret. — deinde fabella rogi exstincti tractanda est: quam et Herodotus et Xanthus narraverunt. utrum auctorem Nicolaus secutus est? Xanthum secutus est. exstat enim gravis varietas: apud Herodotum imber ex sereno caelo defluxit: Nicolaus autem haec dicit: *χειμὼν δ' ἔτυχε τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἐξ ἠοῦς, οὐ μὴν ὑετός γε.* qua discrepantia Nicolaum hoc loco non Herodotum, sed Xanthum secutum esse demonstratur. similitudo narrationum explicatur eo, quod, ut vidimus, etiam penes Herodotum novella originis Lydiae fuit [1]). —

De Xanthi narratione.

Postquam in Nicolai fontibus examinandis vidimus, quantopere Nicolaus pendeat a Xanthi Lydiacis, huius Croesi exitii narrationem restituere conemur. primum de

---

1) cf. supra pag. 17 sq.; 19.

rogi situ, de Croeso et Lydis, de Cyro et Persis accurate narratum esse iam supra cognovimus. deinde Croesi precibus commotus Cyrus filium illius mutum adduci iussit. qui res patris adversas videns sanatus est, qua re evenit illud oraculum [1]). interea vestes Lydorum matronarum pretiosae ad rogum allatae sunt. Croesus postquam filium et Lydos circumstantes deosculatus est, in rogum conscendit. tum Sibylla, ut a scelere desisterent, Persas admonuit. Persae autem Sibyllae praecepta neglegentes rogum incenderunt. tum Croesus imploravit Apollinis auxilium, qui imbri ingenti rogi ignem exstinxit. Persae autem hoc miraculo adducti praeceptis Zoroastris exinde diligenter paruerunt.

Nunc Xanthi narrationem ipsam paulo accuratius spectemus.

Adhuc Nicolai narrationi tributa est minima auctoritas, quod putaretur necesse esse Nicolaum narraturum esse veras tantum res, si teste usus esset Xantho. quae coniectura est falsa. Xanthus eadem aetate florens atque Herodotus sine dubio eodem modo, fortasse etiam magis quam ille pendet a fabellis. auctor igitur Lydius non melius quam Graecus explorare potuit res veras. quin etiam ne parem quidem spem fidei in Xantho ponere possumus atque in Herodoto. nam Herodotum undique videmus studuisse veritatem comperire. qua de causa magna illa itinera fecit. alia videtur fuisse ratio Xanthi. refert omnia, quae cognovit de patria sua, miracula et res regum gestas, non quaerens, quo ex fonte haec fluxerint. summum locum obtinuisse hoc in opere fabellas non mirum est, cum huius generis narrationes maxime tum probarentur. una ex his putanda est etiam haec Xanthi de Croesi fortuna narratio.

Maxime interest hanc apud Xanthum fabellam comparare cum illa, quam apud Herodotum cognovimus. quae

1) Haec pars rhetoricis ornamentis potissimum a Nicolao retractata est; sed non necesse esse hanc historiam ex Herodoto haustam et a Nicolao commutatam esse vel ex eo cognoscitur, quod etiam aliae de filii muti fortuna historiae exstiterunt, quarum una apud Ctesiam nobis proditur (cf. pag. 28 sq.).

narrationes — quod mirum non — nonnullis in partibus inter se consentiunt: Cyrus rogo comburere vult Croesum, sed Apolline interveniente hoc consilium ad irritum cadit. sed plurimis locis exstant magnae differentiae. primum apertum est et facile intellegi potest auctorem Lydium accurate describere rogi situm, cum fuerit civis Sardium. deinde illa de filio muto et eius sanatione fabella[1], quam Herodotus accepit a rogi historia solutam, apud Xanthum in narrationem ipsam inserta est, id quod non est offensioni, cum Lydus cum studio ostendere voluerit, quanta pietas exstiterit inter patrem et filium. etiam vestes Lydarum pretiosas allatas esse ad rogum Xanthus non oblitus est narrare, ut ex ea re eluceret, quanto amore usus esset Croesus apud populum. permultum valet mentio Sibyllae, qua re clarissime demonstratur color Lydius huius fabulae: Sibylla ipsa intervenit pro Croeso, ut a rogo servetur, sed Persae amenti furore caeci contemnunt monita divina. hoc loco cognoscimus odium in Persas ingens, quod in eo exstat, quod accusantur Persae deorum contemptionis. eadem ex causa Zoroastris mentio facta est, cuius secundum praecepta nefas est homines comburi. miraculo Apollinis solo Persae commoventur, ut praeceptis deorum rursus obsequantur. — denique omnibus his ex rebus apparet, quantopere Xanthi interfuerit fortunam tristem ultimi Lydorum regis referre. non mirum est hanc narrationem multo uberiorem esse quam illam, quam Herodotus comperit a fabulatoribus Lydiis; nam Xantho, cum viveret Sardibus, adfuerunt fontes longe copiosiores, ex quibus haurire posset, maxime memoria quaedam privata in familiis tradita, quae non patebat peregrinis. Persarum odium ipsum distat ab Herodoti narratione, qua talia non referuntur. — praeter Cyri factum ipsum, quod ei fuit magnae offensioni et quod accurate explicare conatus est, ut vidimus, fortasse conicere licet Herodotum debuisse narrationem nobilibus Lydis, qui partes Persarum sequebantur, Xanthum autem, cum esset vir vere Lydus, iis hominibus, qui Persarum dominationem

1) Etiam alioquin narrationes de filio muto ab auctoribus prolatae dissentiunt inter se, maxime eius sanatio.

aegre ferebant. — quoquo modo res se habet, narratio Xanthi praebet nobis veram fabellam Lydiam, quam retractatione Nicolai [1]) rhetorica amisisse puto nonnulla ad locum pertinentia.

VIII. De Plutarchi [2]) narratione.

Plutarchus in vita, quae inscribitur Solon, cap. 27 illud Solonis et Croesi commercium narrat. cap. 28 continet historiae finem et summam, quae in ea re consistunt, quod Croesus sapienti Solonis consilio servatur.

I. Argumentum.

Croesus postquam amissa urbe in Cyri potestatem venit in rogum Persis et Cyro praesentibus impositus magna voce ter exclamavit Solonem. Cyrus miratus misit quaesitum ex eo, quidnam hoc sibi vellet. qui nihil dissimulans rettulit accurate illud commercium et colloquium cum Solone habitum, qui, quamquam omnes suos thesauros vidisset, tamen ex illa fortuna has res adversas augurans se monuisset, ut finem vitae spectaret. quibus auditis Cyrus, cum esset sapientior Croeso et exemplo videret confirmatum Solonis sermonem, non modo liberavit Croesum, sed etiam, dum vixit, honoribus affecit. Soloni autem laus tribuenda est, quod uno dicto duorum regum alterum servavit, alterum erudivit.

II. De fontibus [3]).

Fontium Plutarchi exploratio est valde difficilis, ut raro proximum fontem inveniamus. sed hoc loco difficile

1) Sine dubio Nicolaus narrationem Xanthi commutavit Cyri gratia: initio fragmenti legimus: quamquam Cyrus ipse Croesum miserabatur, tamen Persae rogum struxerunt. deinde scriptum est: quamquam Cyrus Persis verba Sibyllae exponi iussit, tamen Persae rogum incenderunt. Cyrus flevit, cum Croesum in rogo stantem videbat.

2) cf. Wendland, d. gr. Prosa, l. l. pag. 372 sq.

3) De Plut. vitis cf. Leo, die griech.-röm. Biographie; pag. 146—192.

non est originem primam narrationis Plutarcheae cognoscere, quae est Herodoti descriptio, quam sententiam dicit etiam Busoltus [1]. Prinzius [2] et Begemannus [3] probare studuerunt Hermippum esse proximum Plutarchi fontem, quamquam certum huius opinionis testimonium dare non possunt. sed quoquo modo haec res se habet, nobis gravius esse videtur scire Herodotum primum testem narrationis Plutarcheae esse. quomodo illa Herodoti narratio apud Plutarchum commutata est?

Cur Plutarchus hanc Croesi exitii narrationem, quam auctor fontis, ut Begemannus (l. l.) recte dixit, haud dubie fusissime tractaverat et meo iudicio etiam integram praebuerat, commutaverit et contraxerit, luce clarius erit, si cognoverimus, cur Plutarchus hoc Solonis et Croesi commercium protulerit, quamquam temporis rationes prorsus obstant. nam veteres quosdam hoc iam perspexisse Plutarchus ipse (cap. 27) nos certiores facit. nihilo minus illam historiam narrat et causam huius rei affert haec verba: *ἐγὼ δὲ λόγον ἔνδοξον οὕτω καὶ τοιούτους μάρτυρας ἔχοντα καί, ὃ μεῖζόν ἐστι, πρέποντα τῷ Σόλωνος ἤθει καὶ τῆς ἐκείνου μεγαλοφροσύνης καὶ σοφίας ἄξιον, οὔ μοι δοκῶ προήσεσθαι.* videmus igitur Plutarchi hoc solum interfuisse Solonem hac narratione laudibus efferre. eadem est causa, quae illum commovit, ut omnia omitteret, quae nihil conferunt ad Solonis gloriam. itaque silentio praetermisit Apollinem, qui apud Herodotum imbrem mittens solus Croesum rogo servavit. quare Plutarchus effecit, ut Solo nobis videatur solus Croesum morte liberavisse. quod confirmavit fine huius capitis: *καὶ δόξαν ἔσχεν ὁ Σόλων ἑνὶ λόγῳ τὸν μὲν σώσας, τὸν δὲ παιδεύσας τῶν βασιλέων.*

---

1) Busolt, Gr. Gesch. II², 58.

2) Prinz, de Solonis Plutarchei fontibus; Diss. Bonn. 1867. p. 39.

3) Begemann, quaestiones Soloneae I; Diss. Gott. 1875. pag. 22.

IX. De Iustini narratione.

Iustini in opere, quod ex primo opere Romano universas orbis terrarum res tractante, quod scripsit Pompeius Trogus, excerptum est, nonnulla de Croesi exitio dicta sunt. quae quamquam per se nihil valent, tamen non praeteream, quod hanc narrationem sequuntur verba, quibus, etsi a rebus veris prorsus abhorreant, auctor demonstrare vult, quantus amor Croeso apud omnes urbes Graecas fuerit.

Iust. I, 7: „Ibi fortuna prioris proelii perculsum iam Croesi exercitum nullo negotio fundit. Croesus ipse capitur. sed quanto bellum minoris periculi, tanto et mitior victoria fuit. Croeso et vita et patrimonii partes et urbs Barene [1]) concessa sunt, in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen maiestati regiae degeret. haec clementia non minus victori quam victo utilis fuit: quippe ex universa Graecia, cognito quod illatum Croeso bellum esset, auxilia velut ad commune exstinguendum incendium confluebant: tantus Croesi amor apud omnes urbes erat: passurusque Cyrus grave bellum Graeciae fuit, si quid in Croeso crudelius consuluisset“.

De huius narrationis fontibus quaerere inutile esse puto, cum exiguae reliquiae Trogi in hoc Iustini excerpto servatae certum fontis vestigium non praebeant.

X. De Polyaeni narratione.

Polyaenus in opere suo tres expugnationis Sardium modos inter se differentes nobis descripsit.

I. Argumentum.

1) VII, 6, 2 pertinere ad expugnationem urbis solius praeter arcem apparet ex initio § 3. Cyrus indutiis cum Croeso factis copias abduxit a Sardibus. noctu autem subito

1) Hoc loco Iustinus consentit cum Ctesia.

exercitu Sardes reducto scalis muros custodiis carentes ascendit et urbem occupavit.

2) VII. 6, 3: Urbe occupata Croesus in arcem se recepit, ut auxilium Graecorum exspectaret. Cyrus autem iis, qui in arce erant inclusi, propinquos in urbe captos ostendens dixit, si arx traderetur, futurum esse, ut vitae propinquorum parceretur, si non, illos suspendio interimi se iussurum esse. oppugnati autem urbem tradiderunt, ut vitae propinquorum parcerent. — quae utraque pars inter se fortasse coniungi potest, si illa inter urbem et arcem differentia (Σάρδεις, πόλις; ἀκρόπολις) servatur.

3) Haec tertia narratio (VII. 6, 10) nullo modo cum illis cohaeret. hoc loco auctor iam non distinguit inter urbem et arcem, sed utitur modo voce Σάρδεις modo voce ἄκρα. — Cyrus Sardes oppugnans ligneas figuras fieri iussit, quas Persicis vestibus, barbis, pharetris, arcubus instruxit, quae simulacra Persis similia in longas perticas imposita, ut muri altitudinem adaequarent, nocte ad moenia admoveri iussit. deinde prima luce reliquas urbis partes aggressus est, sed repulsus est. cum autem nonnulli Lydorum Persarum simulacra supra arcem viderent, rati urbem iam esse expugnatam, portas patefecerunt et fugerunt. ita Cyrus Sardes vi cepit.

II. De fontibus.

De Polyaeni opere et fontibus Wilamowitzius [1]) dicit haec: „Polyänus widmet den Kaisern Marcus und Verus eine aus billigen Büchern zusammengestoppelte Sammlung von Kriegslisten: die unausstehliche Ziererei seiner Rede ist das einzige, was er dazu tut, in Wahrheit hat er kein sachliches Interesse“. de fontibus huius auctoris ita descripti non omnibus locis certe iudicari potest.

1 et 2) Hae narrationes ab eodem fonte pendere videntur. quod probatur ea re, quod expugnatio arcis separatur ab urbis expugnatione. quamquam fieri potuit,

1) Wilamowitz, Die griech. Liter. des Altertums: Kultur d. Gegenwart p. 153.

ut Polyaenus ipse urbem et arcem discerneret, quod narrationes coniunctae sunt parum subtiliter: *Κῦρος ἐκράτησε Σάρδεων· Κροῖσος* . . . — ad fontem certum referre has narrationes satis difficile est. sed fortasse aliquid dici potest de huius fontis ratione. non dubium est, quin auctor huius fontis Cyro infestus fuerit: in § 2 Cyro crimini datur, quod indutiis cum Croeso factis usus est, ut nocturno impetu moenia non custodita occuparet; in § 3 Cyrus captivorum mortem minatur, ut praesidium cogat tradere arcem. propter illud consilium Cyro obtrectandi hanc narrationem ad originem Lydiam referendam esse puto. meo quidem iudicio facile intellegi potest in Lydia potissimum diversas narrationes ortas esse de Sardium expugnatione, quod, cum urbs expugnata esset tam subito et improviso, res verae numquam constitui poterant. quam ob rem rumores omnis generis facile vulgari potuerunt.

3) Tertiam relationem e Ctesia haustam esse constat [1]. eadem res narratur, sed accuratius quam apud Photium (v. p. 28). num Ctesiam ipsum, quem etiam posterioribus temporibus lectitatum esse scimus (id Pamphila [2]) docet) excerpserit, incertum est; verisimilius esse mihi videtur Polyaenum iam usum esse Pamphilae excerpto propter brevitatem aptiore.

Ctesias etiam hanc fabulam debere videtur testibus Persis, quos summa cum diligentia describere potuisse illa simulacra consentaneum est. Lydos enim finxisse vix puto huius generis fabulam, qua sane non celebrantur virtutes mil[illegible] fortissimorum propriae, constantia ac disciplina.

Polyaeni narrationes comparantes cum Herodotea supra tractata cognoscimus omnes inter se differre. Herodotus enim narrat, postquam urbs frustra oppugnata est, loco custodibus carente muros a Persis ascensos esse duce Mardo quodam, qui semitam abruptam exploraverat.

Ex his quattuor narrationibus apparet, quantopere fabella potita sit etiam Sardium expugnatione. ex earum diversitate concludere possumus sine dubio causam veram

1) Etiam Duncker et Schubert hanc opinionem dixerunt.

2) cf. Suidam s. v. *Παμφίλη*.

expugnationis subitae numquam cognitam esse. quo factum est, ut et victores et victi hanc rem ornarent fabulose.

Singulas fabellas ipsas spectantibus confutanda est Ctesiae narratio. quem nihil nisi demonstrare velle puto, quam facile Persae expugnaverint Sardes et quam amentes et trepidos Lydi se praebuerint.

Ex ceteris tribus fabellis Lydiis communia colligentes hoc unum statuere possumus Sardes subito, fortasse noctu expugnatas esse atque hac in re usurpatum esse dolum, quo decepti sunt Lydi. an Persae antea frustra oppugnaverint urbem, an indutiae factae sint, an muri revera custodibus caruerint, an Cyrus captivis propinquis assecutus sit, ut urbs traderetur, dubitari potest. quae omnia etiam additamenta Lydia esse possunt, quae cladem excusarent.

Conclusio.

Nunc ad finem libelli pervenimus. restat, ut omnia, quae examinavimus, comprehendamus.

Postquam Croesus pugna victus est, Sardes a Persis oppugnatae sunt. de urbis expugnatione exstant quattuor narrationes apud Herodotum, Ctesiam, Polyaenum traditae, quae omnes inter se discrepant. hoc unum consensu omnium constare videtur urbem subito, fortasse noctu a Persis dolo captam esse.

De Croesi fortuna variae narrationes memoriae proditae sunt. primum apud Bacchylidem narratur Croesum se ipsum sacrificare voluisse, sed Iovis imbri e flammis ereptum esse. Apollinem eum transtulisse ad Hyperboreos. illam narrationem Croesi se ipsum comburentis probat vasis imago.

Deinde tota rogi narratio commutata est. Herodotus et omnes auctores posteriores narrant a Cyro in rogum impositum esse Croesum. attamen ille servatus est. re aliqua inopinata, quam omnes fabellae traditae explicare student — atque hac in re omnes inter se consentiunt — Cyri animus mutatus est, ut hostis vitae parceret.

Ex omnibus narrationibus optima colligentes haec statuamus, quae satis constare videntur: Croesus impeditus, ne se ipsum rogo combureret, a Cyro veniam impetrans in amicorum numerum receptus est.

De ratione, quae intercedit inter Herodotum et Xanthi Lydiaca.

Quamquam hac de quaestione persaepe tractatum est, tamen etiam nunc haud inutile esse videtur de ea re quaerere, praesertim cum viri quidam docti non semper ea, quae opus est, prudentia in iudicio ferendo usi sint.

Xanthus Lydus, Candaulis filius, floruit regnante Artaxerxe, rege Persarum (465—425)[1]. composuisse eum quattuor libros, qui inscribuntur *Λυδιακά*, Suidas (l. l.) refert, quod fragmentis comprobatur. quibus in libris narratum est de terra et populo Lydorum, de rebus a Lydorum regibus gestis, maxime de fabulis et miraculis[2].

Primo loco paucis verbis tangenda est quaestio olim saepe tractata, utrum reliquiae nomine Xanthi traditae genuinae putandae sint necne. cuius modi dubitationes excitatae sunt Athenai (XII, cap. 11; pag. 515 D) loco notissimo, quo dicitur: . . . *ὡς ἱστορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδὸς ἢ ὁ τὰς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένας ἱστορίας συγγεγραφώς — Διονύσιος δ' ὁ Σκυτοβραχίων, ὡς Ἀρτέμων φησὶν ὁ Κασσανδρεὺς*

1) Quamquam apud Suidam inveniuntur haec verba: s. v. *Ξάνθος*: *Ξάνθος Κανδαύλου· Λυδὸς ἐκ Σάρδεων, ἱστορικός, γεγονὼς ἐπὶ τῆς ἁλώσεως Σάρδεων.* sed hoc de Xanthi aetate enuntiatum esse falsum intellexit A. de Gutschmid (kl. Schriften, IV, 308) suspicatus Xanthum rerum scriptorem a Suida commutatum esse cum Xanthe Samio, Aesopi et Rhodopis domino, quem Amasi regnante (—526) floruisse putat Herodotus (II, 134, 135). vera Xanthi aetas cognoscitur cum ex aliis locis (cf. Dionys. Hal. de Thuc. 5, pag. 820; schol. in Eur. Androm. 10) tum e Xanthi fragmento 3 (ap. Mueller. I p. 49), quo dicitur: . . . *ἐπὶ Ἀρταξέρξου γενέσθαι μέγαν αὐχμόν* . . . —

2) Argumentum singulorum librorum videtur recte restituisse Gutschmid, kl. Schr. IV, 312.

ἐν τῷ περὶ Συναγωγῆς Βιβλίων, ἀγνοῶν ὅτι Ἔφορος ὁ συγγραφεὺς μνημονεύει αὐτοῦ ὡς παλαιοτέρου ὄντος καὶ Ἡροδότῳ τὰς ἀφορμὰς δεδωκότος . . . hoc testimonio nisus Welckerus [1]) omnia Xanthi fragmenta servata pro falsis habenda esse probare studuit. illius Artemonis sententiae maiorem auctoritatem tribuit putans dubitationes viri, qui, cum esset rerum ad bibliothecam pertinentium peritissimus, etiam his de rebus tractavisset, plus valere quam silentium ceterorum. huic Artemonis dubitationi addidit nonnullas e Xanthi fragmentis sumptas, quae falsarium Dionysium Scytobrachionem redolere ei videbantur. sed haec omnia refutata sunt a multis viris doctis — Bethio praecipue —, qui fragmenta Xanthi nomine tradita neque corrupta neque interpolata esse demonstraverunt. praeter ceteros Gutschmidius [2]) bene meruit de Xantho recte aestimando.

Xanthi Lydiacorum servata sunt fragmenta circiter triginta [3]), quae tradita sunt apud Strabonem, Stephanum Byzantium, Dionysium Halicarnassensem, Athenaeum aliosque, maxime apud Nicolaum Damascenum [4]), qui historiarum partes, quae sunt de rebus Lydiis (in libris IV. VI. VII.), hausit e Xantho. non minus quam novem ex triginta Xanthi fragmentis referunt res etiam a Nicolao traditas. quin etiam duobus locis et Xanthus et Nicolaus afferuntur testes [5]). ex ea re apparet, quam multa Nicolaus debeat Xantho. cum igitur tam multis locis inter se consentiant et Xanthi et Nicolai fragmenta, quamquam parvas Lydiacorum reliquias solas in manibus tenemus, Nicolaus etiam alias rerum a Lydis gestarum partes e Xantho petivisse putandus est [6]).

---

1) Welcker, kl. Schriften I, 431 sqq.

2) Gutschmid, kl. Schr. IV, 309 sq.

3) Xanthi fragmenta inveniuntur ap. Mueller, fr. hist. Graec. I, pag. 33 sqq.

4) cf. Mueller, fr. hist. Gr. III, 341 sqq.

5) cf. Xanth. fr. 15 et Nic. fr. 23; Xanth. fr. 23 et Nic. fr. 26.

6) Eandem sententiam dixerunt Mueller (fr. hist. Gr. III, 370); Creuzer (pag. 155, 184, 200); Welcker (opusc. I, 438); Hachtmann (de ratione inter Xanthi Lydiaca et Herodoti Lydiae historiam. Pr. Hall.

Nunc transeamus ad rationem examinandam, quae intercedit inter Xanthum et Herodotum.

Proficiscendum est ab illo apud Athenaeum testimonio Ephori iam supra allato (. . . Ἡροδότῳ τὰς ἀφορμὰς δεδωκότος), cuius fidem impugnavit Gutschmidius [1] dicens hunc locum iam propter illud Artemonis dictum non esse dignum ulla auctoritate. sed Seidenstueckerius [2] sententiam Gutschmidii refutans probare studuit hoc testimonium permultum valere. sed utut haec res se habet, Ephori opinio tum solum nobis persuadere potest, si comprobatur etiam rebus memoriae traditis. qua de causa nobis perlustrandi sunt singuli loci a viris doctis tractati.

Sed antea cogitandum est, quid sit caput totius huius quaestionis. meo quidem iudicio est hoc: multo gravius est illas, quae exstant, diversitates explicari vel dissolvi quam praedicari ea, in quibus uterque auctor inter se consentit [3]. nonne est consentaneum duos scriptores, qui eodem de populo et iisdem de rebus referunt, similia memoriae tradere, etiamsi alter altero non sit usus? si Xanthi historia nobis tradita esset, e compositione liceret concludere, utrum Herodotus secutus esset Xanthum necne. sin autem in rerum compositione uterque auctor inter se consentiret, tum ponendum esset alterum ab altero pendere. nunc summa prudentia opus est in similibus apud utrumque auctorem locis iudicandis. — sunt, qui putent totam Lydiae historiam Herodoteam referendam esse ad librum — ad Xanthum Lydum. quasi vero omnes narrationes de Lydiis rebus prolatas debuisset Herodotus libro! quare quaerendum

1869); Gutschmid (kl. Schr. IV, 310); Pomtow (de Xantho et Herodoto rerum Lydiarum scriptoribus. Diss. Hall. 1886 p. 20 sqq.); Busolt (Gr. Gesch. II², 451); Wachsmuth (Einleit. in d. Stud. d. alt. Gesch. p. 107 adn. et 463).

1) Gutschmid, kl. Schr. IV, 311.

2) Seidenstuecker, de Xantho Lydo rerum scriptore quaestiones selectae. Diss. Kiel 1895. pag. 45 sqq.

3) Propter hanc argumentandi rationem vituperat Heil (logographis, qui dicuntur num Herodotus usus esse videatur. Diss. Marb. 1887) pag. 32 suo iure Hachtmannum. sed etiam Pomtow commisit hunc errorem.

est: quae partes Lydiae historiae Herodoteae pendent a libris? quae igitur partes possunt esse depromptae e Xanthi Lydiacis?

Statuamus universe, quae e narrationibus viva voce traditis, quae e libro hausisse videatur Herodotus.

Permulta hominum sermoni debet Herodotus. id quod cognoscimus ex eo, quod hae narrationis partes fuse atque copiose compositae sunt et multa singula, quae maxime in fabellis inveniuntur, continent. eaedem nominibus propriis carere solent. partes huius modi sunt meo iudicio hae: historia Gygis (I, 8—13), quod legimus de bello cum Milesiis gesto (I, 17—22), fabula, quae est de Croesi et Solonis colloquio, e fonte Graeco sumpta (I, 29—33), narratio de Atyos fortuna prolata (I, 34—45), illud cum Sandane colloquium (I, 71), maxima pars illius de Croesi et Cyri bello relationis, velut id, quod scriptum est de Halyos transitu (I, 75), de pugna ancipiti Marte commissa (I, 76), de anguium miraculo (I, 78), de itinere Cyri contra Sardes facto (I, 79); praeterea narratio pugnae (I, 80), denique historiae de Croesi fortuna contaminatae partes quaedam (I, 86—88).

A fonte Delphico pendent haec: I, 45—55, quibus narratur de oraculis et donariis, illa de filio muto fabula (I, 85), postremo illa oracùli Delphici purgatio (I, 90—92).

Ad librum referenda sunt pauca: series regum Lydorum, cui breves adnotationes additas esse verisimile est, velut in cap. 28 nomina gentium subiectarum. fortasse liber adhibitus est etiam in his narrationibus: in relatione de Croesi itinere prolata (I, 76 initio), in mentione societatis cum Aegyptiis, Babyloniis, Lacedaemoniis initae (I, 77), nonnullis locis, qui sunt de Sardium expugnatione et de Croesi exitu.

Quae si ita sunt, ut modo exposui, sequitur, ut perpauca sumpserit Herodotus e libro. seriem Lydorum regum et nonnullas adnotationes illi additas petivit ex eo, quasi ossa corporis, quod explevit suo ex arbitrio narrationibus et fabulis, quas inveniebat permultas in hominum sermone.

Huc accedit, quod omnino non in animo erat Herodoto totam Lydiae historiam describere, sed ea sola, quae per-

tinent ad propositum operis, quo narrare vult, quomodo Graeci sub barbarorum ditionem venerint. qua in re imprimis Croesus respiciendus erat, cuius historia et fortuna Graecis notissima erat apta ad alliciendos animos. qua de causa paulo longius repetens totum Croesi exitum tristem rettulit. quae narratio composita est plane artificiose: movetur illo oraculo (I. 13): *τίσις ἥξει ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω.* Croesum ad summum fortunae et potentiae culmen ascendentem videmus. sapientissimus illius aetatis vir eum admonet, ne fortunae confidat. sed neglegit sapientis monita et statim evenit pernicies, qua punitur illius *ὕβρις*: Atys filius necatur; quamquam oraculis, anguium miraculo, per Sandanem admonetur, se praecipitat in periculum; a Persarum rege in pugna victus obit tristissimam sortem.

Quoniam igitur causam et compositionem Lydiae historiae Herodoteae cognovimus, facile intellegemus, quam multa Herodotus ipse addiderit et quam pauca hac in parte concipienda aliis ex rerum scriptoribus haurire potuerit.

Nunc redeamus ad rationem inter Herodotum et Xanthum tractandam. perscrutemur singulas controversias.

1) Una ex gravissimis est illa de Gyge regnum adepto historia, quae ab Herodoto I. 8—13, a Nicolao fr. 49 (III. 383 ap. Muellerum) narratur varia ratione. Herodotus hac de re comperit Candaulem, regem Lydorum, ratum suam uxorem esse feminam pulcherrimam Gygi ostendere voluisse illam nudam. Gygi, quamquam primo hoc vehementer refutavisset, postremo cum rege convenisse. reginam autem, cum sensisset Gygem rege auctore se nudam spectavisse, ab illo postulavisse, ut aut se aut regem necaret. Gygem rege interfecto et reginam et regnum adeptum esse. — apud Nicolaum autem legimus haec: Sadyattes, rex Lydorum, qui Tudonem, filiam Mysorum regis, in matrimonium ducere volebat, Gygem iussit sponsam adducere. in itinere Gyges amore inflammatus Tudonem amplecti conatus est. quae eum refutans omnia rettulit Sadyatti regi, qui Gygem interficere constituit. sed Gyges, postquam per ancillam in cubiculo regis praesentem consilium Sadyattis comperit,

illum praeveniens cum nonnullis amicis eadem nocte necavit regem. quo modo et regina et regno potitus est. — sed etiam exstant aliae relationes, quae ab illis plane abhorrent, maxime illa narratio Platonica (de rep. II, 3). quae omnes inter se consentiunt in iis duabus rebus solis, quod Gyges regem necavit et una cum regina adeptus est regnum. cetera omnia inter se discrepant. quamquam narratio Herodotea valde inclinat in eiusmodi narratiunculas, quas nomine novellarum designare solemus, quales fabulas Herodoto optime praebuit viva hominum vox, tamen identidem conati sunt viri docti eam referre ad librum, — ad Xanthum [1]).

1) Et Pomtow (l. l. pag. 41) et Seidenstuecker (l. l. p. 54) comprobare studuerunt singulas narrationis Herodoteae partes derivatas esse e Xantho. — diversitates, quae exstant, explicantur diversa ratione: Hachtmann (l. l. p. 17) gravissimam discrepantiam putat, quod secundum Nicolaum scelus Gygi crimini vertitur, secundum Herodotum Candauli. quam dissensionem refert ad ea, quae a sacerdotibus Delphicis accipiebat Herodotus. quos Gygis donariis commotos studuisse facinora Gygis defendere. — Pomtow (l. l. pag. 40) contra Herodotum illam apud Platonem historiam ad verum Gygem transtulisse dicit: „Hanc de fabuloso Gyge (a Platone commemorato), Mermnadae stirpis rege, aut similem narratiunculam cum audivisset, Herodotus ad verum Gygem, Dascyli filium, Lydorum regem, qui Heraclidis regnum eripuit, transtulisse videtur, unde efficitur, ut nobis probandum sit duorum auctorum de ea re memorias eum hoc loco miscuisse". — Seidenstuecker (l. l. pag. 52) denique Herodotum non „iustam Delphici oraculi formam" — quod significare velle puto: oraculum versibus compositum — prodidisse explicat ex eo, quod illud e Xantho hauserit Herodotus, qui postea suo ex arbitrio passim permutatum enarraverit (cf. pag. 64). — sed etiam aliis locis inveniuntur oracula sermone pedestri composita, velut I, 53: . . . ἢν στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας, μεγάλην ἀρχήν μιν καταλῦσαι.

Sed quis est, qui putet, illis explicationibus — utrum sint rectae an falsae in incerto relinquo — demonstrari Herodotum esse usum Xantho? Gygis factum, quo regnum adeptus est, non minus obscurum quam grave in omnium ore fuisse consentaneum est. atque cum origo narrationis Herodoteae incidat in eam aetatem ipsam, quam novellisticam nominamus, facillime intellegi potest huic historiae addita esse fabulosa ex aliis narrationibus sumpta. qua de causa pravum est has diversitates inter se aequare. — sed Herodotum ipsum illam, quam apud Xanthum invenerit, fabulam tantopere commutavisse, ut exemplum omnino

2) Herodotus duobus locis de Mysorum origine refert: I, 171: *ἀποδεικνῦσι δὲ ἐν Μυλάσοισι Διὸς Καρίου ἱρὸν ἀρχαῖον, τοῦ Μυσοῖσι μὲν καὶ Λυδοῖσι μέτεστι ὡς κασιγνήτοισι ἐοῦσι τοῖσι Καρσί· τὸν γὰρ Λυδὸν καὶ τὸν Μυσὸν λέγουσι εἶναι Καρὸς ἀδελφεούς.* sed alio loco Mysos significat Lydorum progeniem: VII, 74 legimus: *οὗτοι* (sc. Mysi) *δέ εἰσι Λυδῶν ἄποικοι, ἀπ᾽ Ὀλύμπου δὲ ὄρεος καλέονται Ὀλυμπιηνοί.* — hae cum Herodoti opinione consentiunt ea, quae Xanthus rettulit fr. 8 (Strabo XII, p. 572): . . . *κατὰ τὸν Ὄλυμπον, ὅπου ἐκτεθῆναί φασι* (sc. *οἱ Λυδοί*) *τοὺς δεκατευθέντας, ἐκείνων δὲ ἀπογόνους εἶναι τοὺς ὕστερον Μυσούς* . . . — hoc loco conicere liceat Herodotum esse secutum Xanthum, praesertim cum ipse aliam sententiam alio loco protulerit de Mysorum origine. sed etiam haec spes fallit: hanc narrationem sumpsit Herodotus non e Xantho, sed ex alio quodam libro, ex quo hausit totam illam partem (VII, 26—131), qua Xerxis iter a Celaenis usque ad Thermam factum, singulae exercitus gentes, arma earum et duces accuratissime describuntur [1]).

Discrepantia utriusque narrationis Herodoteae explicatur eo, quod Herodotus libro illi maximam fidem habens omnia in opus suum transtulit non respiciens ad ea, quae supra scripserat.

3) Nicolai fr. 71 narratur illa de Alyatte et colonis Mysis historia: Alyatte forte ad muros urbis considente praeterit uxor Thracis alicuius, qui e Thracia in Lydiam transierat cum uxore et liberis, urnam gestans capite, manibus colum et fusum tractans, zonae autem a tergo adiunctus erat equus. quo conspectu commotus Alyattes ad Thracum regem legatos misit, qui ab illo peterent quam plurimos colonos cum uxoribus ac liberis. — apud Herodotum (V, 12) legimus hanc fabulam: duo viri Paeones,

---

non cognosci possit, nullo testimonio declaratum est: videtur eam accepisse Herodotus ab illis fabulatoribus, qui ei permulta praebuerunt. quin etiam negandum est Herodotum Xanthi narrationem cognovisse, alioquin, ut solebat, etiam illius narrationem rettulisset. —

1) cf. Ed. Meyer, Gesch. d. Alt. III, 6, 7 et Forsch. II, 231.

qui tyranni Paeonum esse volebant, venerunt Sardes, cum Dareus ibi versaretur, secum ducentes sororem. observantes regem considentem in Sardium suburbio fecerunt haec: miserunt sororem ad aquam urnam capite ferentem, equum brachio ducentem, linum manibus nentem. quae cum Dareus videret, miratus feminam advocari iussit. statim etiam fratres adfuerunt, qui a Dareo interrogati, qui essent et quid hoc sibi vellet, respondebant se esse Paeones et venisse, ut se ipsos dederent regi. cui quaerenti dixerunt omnes Paeonum mulieres esse tam industrias quam sororem. deinde Dareus constituit Paeones e Thracia traducere in Asiam.

Nunc narrationes inter se comparemus. in re praecipue utraque consentit: explicatur, quomodo illae gentes ex Europa pervenerint in Asiam; et causa repetitur a femina industria. alioquin autem narrationes inter se distant: pro Alyatte invenimus apud Herodotum Dareum, pro Mysis Paeones; in Nicolai fabula Alyattes casu conspicit mulierem, sed apud Herodotum omnia eveniunt consilio.

Alteram ab altera pendere apparet. quaeritur igitur, utra sit prior. sine dubio Nicolai narratio est genuina, quae intellegi potest sine ulla difficultate [1]. in Herodoti narratione inest aliquid obscuri: quid fratres hac in re sibi velint, difficile est intellectu. quod oculi regis consilio ad feminam convertuntur, id videtur esse fictum; casus praeferendus est. praeterea urbs Sardium optime quadrat ad Alyattem, regem Lydorum, non ad Dareum. apud Herodotum duae fabulae inter se commixtae sunt, qua re tota narratio discors atque dissona est facta: 1) fratres cupiditate dominandi commoti offerunt regi populum suum, ut subiciat; 2) fabula mulieris industriae. — quibus ex rebus apparet narrationem de muliere industria translatam esse ab Alyatte et Mysis ad Dareum et Paeones.

---

1) Heil quidem (l. l. pag. 33 adn. 1) pro explorato habet hanc Nicolai narrationem esse depromptam ex Herodoto. arbitratur enim Dionysium Scytobrachionem haec ex Herodoto verba in Xanthi narrationem inseruisse paucis mutatis et rebus et nominibus. haec opinio confutatur cum iis, quae supra de genuino Xantho diximus, tum testimonio insequente.

Unde hausit Nicolaus hanc narrationem? potestne petivisse eam e Xantho? Nicolaum usum esse Xantho constat in libris IV., VI., VII. solis. hoc autem loco laudatur liber XVIII. non est, cur mutetur libri numerus [1]. quaeritur igitur, possitne Nicolaus hausisse e Xantho etiam in libro XVIII. quod non probabile videtur, si cogitatur, quo modo Nicolaus composuerit opus suum: nihil nisi excerpsit atque exornavit. qua de causa verisimile esse non videtur hoc loco eum iterum redisse ad Xanthum. nonne accepit una cum causa huius narrationis proferendae etiam rem ipsam?

Sed etiamsi ponimus hunc Nicolai locum re vera fluxisse e Xantho, tamen non est demonstratum Herodotum debere fabulam mulieris Xantho. nam Herodotum ipsum eam transtulisse ad Dareum et Paeones putari non potest. novisset igitur hanc fabulam cum Alyatte et Mysis coniunctam. ipse autem bis refert de Mysis et eorum origine et diversa ratione [2]. quodsi cognovisset hanc tertiam de eorum origine narrationem, apparet eum relaturum fuisse illam cum Mysis coniunctam, praesertim cum tantopere ei placeret fabella mulieris. cogitari non potest, qua causa probabili commotus Herodotus hanc de Mysis narrationem neglexerit et ad Paeones transtulerit.

Mea quidem sententia Herodotus narrationem accepit iam talem, qualem memoriae tradit. sine dubio debet eam illis fabulatoribus. haec fabula mulieris industriae fuisse videtur valde vulgata, quae ex arbitrio usurpata est, ut explicaretur translatio gentium.

4) Herodotus I, 93 in Lydia res mirabiles exstitisse negavit praeter aurum, quod ex Tmolo flumine ablueretur. quibus in verbis invenit Creuzerus [3]) rationem aliquam ad Xanthum spectantem, qui fr. 3 et 4 haud pauca mirabilia

---

1) Hunc libri numerum mutavit in VIII. Mueller (l. l.), sed Ed. Meyer (l. l. I, 168 adn.) servat illum a codicibus traditum dicens facile fieri potuisse, cum Nicolai opus valde diffuse compositum sit, ut in libro XVIII. demum de Dareo rege ageretur.

2) cf. 61.

3) cf. Creuzer, Graec. fragm. pag. 170.

de patria sua narravit. iam Dahlmannus hoc refutavit. quin etiam Pomtowius veritus, „ne plus illis verbis tribuamus quam res et veritas ipsa concedat“, fatetur certo dici non posse, „utrum Herodotus hoc loco Xanthum aliumve quemvis auctorem tangere, an Lydorum terrae naturam simpliciter ac vere describere voluerit“. sed quoquo modo res se habet, id statuendum est, si Xanthum cognovisset, sine dubio illa miracula Herodotum non praetermissurum fuisse, cum huius modi res describere soleat cum amore et studio.

5) Nonnulli videntur consensum agnovisse inter ea, quae legimus apud Herodotum I, 92 et apud Nicolaum fr. 65 [1]). Nicolaus narrat Croesum, natu maximum filiorum, Alyatte regnante pecuniam sibi comparare voluisse, ut milites conduceret. a mercatore, ditissimo Lydiae viro, petivit, ut pecuniam sibi daret. sed repulsam tulit. cum autem regnum adeptus esset, omnia bona mercatoris sacravit Dianae, ut voverat. — sed Herodotus opulentissima Croesi donaria referens commemorat haec: „τὰ δὲ ἄλλα ἀναθήματα ἐξ ἀνδρὸς ἐγένετο οὐσίης ἐχθροῦ, ὅς οἱ, πρὶν ἢ βασιλεῦσαι, ἀντιστασιώτης κατεστήκεε συσπεύδων Πανταλέοντι γενέσθαι τὴν Λυδῶν ἀρχήν“. haec perlegens facile intelleges, quantopere auctores inter se distent. sufficiat haec sola praedicare Herodoto teste Alyatti fuisse duos filios, Croesum et Pantaleontem, secundum Nicolaum multos, a Nicolao hostem significari mercatorem, qui pecuniam ad delectum necessariam Croeso dare noluit, apud Herodotum autem unum ex illis, qui Pantaleontis partes secuti Croesum ab imperio prohibere voluerunt.

6) Nunc transeamus ad regum Lydorum seriem examinandam. controversias adhuc tractatas verisimile esse vidimus omnino non referendas esse ad librum — praeter illam de Mysis historiam —, sed hoc loco Herodoteis narrationibus subesse librum negari non potest. oritur igitur quaestio summi momenti: potestne hic liber esse Xanthi?

---

1) frgm. 65 ap. Muellerum = Exc. hist. Const. II, 1 pag. 344 cap. 27.

Ed Meyerus[1] hoc negavit, quod nullum vestigium exstare putat, ex quo eluceat Xanthum cognovisse stirpem Heraclidarum regiam. comprobare studet Heraclidas apud Herodotum allatos sumptos esse non e memoria Lydia, sed Graeca. rectam descriptionem inveniri apud Xanthum, qui ante quinque illos Mermnadas cognoverit unicam stirpem regiam solam, quae repetenda sit ab antiquitate fabulosa, quam oriri ab Atye et Lydo filio, qui populo dederit nomen. etiam hac re doceri Herodotum usum esse non posse Xantho. sed haec argumentatio non tantam fidem habet, quantam tribuit illi Ed. Meyerus. Nic. fr. 49 mentio Heraclidarum fit in Pythiae oraculo, quod ex Herodoto petivisse Nicolaum Ed. Meyerus dixit. quae oracula sunt: Nic. fr. 49 (Exc. Const. III. pag. 16): *ὅτι τοῖς Ἡρακλείδαις εἰς πέμπτην γενεὰν ἥκοι τίσις παρὰ τῶν Μερμνάδων*; Her. I. 13: *ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω.* — hoc loco Nicolaum non esse usum Herodoto docuit Alfr. Schoeneus[2]: Mermnadae enim regnabant secundum Herodotum 170 annos. I, 91 scriptum est tres annos addidisse *μοίρας* Apollinis precibus commotas. qua ex re sequitur, ut primo 167 anni tantum Mermnadis constituti sint fato. 167 anni autem sunt 5 × 33 ⅓ anni (33 ⅓ a. = *γενεά*, qua ratione usus est Herodotus alioquin). ergo rem ita institutam esse, ut quinque illi Mermnadae regnarent per quinque *γενεάς*, apparet. — sed ex Herodoti oraculo, quo dicitur: *ἐς τὸν πέμπτον „ἀπόγονον“* poenam eventuram esse, concludi non potest Mermnadas regnaturos esse per quinque *γενεάς* (= 167 a.). nam voce *ἀπόγονος* non praebetur certum temporis vestigium, id quod dari sine dubio necesse est. — rectam oraculi formam invenimus apud Nicolaum: *εἰς πέμπτην γενεὰν ἥκοι τίσις*; unde apparet hoc loco Nicolaum hausisse non ex Herodoto, sed e Xantho. — accedunt alia. apud Nicolaum fr. 49 legimus haec (pag. 382 ap. Muellerum. Exc. Const. III. pag. 12 sq.): *Λυδοὶ δὲ Ἄρδυν ἐπὶ βασιλείαν καλοῦσιν ἀγγέλους τε ἄλλους πέμψαντες καὶ τῶν Ἡρακλειδῶν*

1) Ed. Meyer, Forsch. I, 167.

2) Alfred Schoene, Herm. 9, 496.

τινας; et ibidem (p. 383 Muell., Exc. Const. III, pag. 13): *βασιλεύοντος δὲ Μύρσου, Δάσκυλος ὁ Δασκύλου τοῦ σφαγέντος ὑπὸ Σαδυάττεω, μὴ τὴν ἐπιβουλὴν εἰς ἑαυτὸν ἐπισπάσηται ὑπὸ τῶν Ἡρακλειδῶν φοβηθείς, ἐκ Φρυγίας φεύγων ᾤχετο* . . . etiam hi Nicolai loci sumpti esse non possunt ex Herodoto, qui his de rebus nihil profert. — — denique fragm. 24 et 49 Meles, rex Lydorum, commemoratur. quo regnante in Lydia erat fames. cum vates hac de re interrogati dixissent poenas pro caede Dascyli regibus esse dandas, rex sua sponte in exilium iit, ut caedem expiaret. regem eiusdem nominis affert etiam Herodotus (I, 84). cui Telmessenses oraculum dederunt Sardes fore inexpugnabiles, si leonem circa muros tulisset. quod fecit praeter unum locum, qui iam per se inexpugnabilis esse ei videbatur. eodem loco murus ascensus est a Persis. — Nicolai locum non pendere ab Herodoto apparet; immo is referendus est ad Xanthum. iam vero exstat filius aliquis Heraclis et Omphalae, qui adorabantur in Lydia iam antiquissimis temporibus, cui filio nomen est Melas [1]). fortasse conicere licet regem illum accepisse nomen proavi Melis, id quod suspicatus esse videtur etiam Wilamowitzius [2]). quod si rectum est, efficeretur etiam apud Xanthum reges ante Mermnadas regnum obtinentes stirpem repetivisse ab Heracle et hac de causa Heraclidas putandos esse. — quibus ex argumentis apparet sententiam Ed. Meyeri vix rectam esse. tenendum est etiam Xanthum cognovisse Heraclidarum stirpem.

Ut perspiciamus, acceperitne regum nomina a Xantho Herodotus, statuamus, quos reges uterque auctor memoriae prodiderit:

---

1) cf. schol. Townl. ad Il. Σ 219: *Μήλας δὲ Ἡρακλέους καὶ Ὀμφάλης ἐν τῇ καθόδῳ τῶν Ἡρακλειδῶν σαλπίζων κατέπληξε τοὺς πολεμίους.*

2) Wilamowitz, Herakles I, 316 (91): „ . . . Melas, Sohn des Herakles und der Omphale . . ., der bei der Heimkehr der Herakliden hilft, die von Trachis ausging. Er ist einfach der Eponym der Melier; aber als *Μήλης* steht er in der lydischen Königsliste . . . “.

1) Atys (fr. 1 et Her. I, 7)
2) Lydus (fr. 1 et Her. I, 7)
3) Torrhebus (fr. 1 et 2) et Tyrrhenus (Her. I, 94)
4) Meles (Nic. fr. 24 et 49 et Her. I, 84)
5) Myrsus (Nic. fr. 49 et Her. I, 7)
6) Sadyattes (Nic. fr. 49) et Candaules (Her. I, 7—13)
7) Gyges (Nic. fr. 62 et Her. I, 13)
8) Alyattes (Nic. fr. 63) et Ardys (Her. I, 15)
9) Sadyattes (Nic. fr. 63 et Her. I, 16)
10) Alyattes (Nic. fr. 64 et 65 et Her. I, 25)
11) Croesus (Nic. fr. 65 et 68 et Her. I)[1].

Undecim igitur reges ab utroque rerum scriptore commemorantur, et ex iis non minus quam tres nominantur diversis nominibus. consideremus has discrepantias.

a) Et Xanthus (fr. 1 et 2) et Herodotus (I, 94) referunt de Atyi filio, Lydi fratre, sed apud Xanthum illi est nomen *Τορρηβός*, apud Herodotum *Τυρρηνός*. hic cum Lydorum parte in Italiam migrans coloniam condidit, ille autem in Asia manens regnum in Lydia tenuit. quamquam omnes, qui Herodotum secutum esse Xanthum putant, hoc loco illum adisse alium fontem concedunt, tamen nonnulli dicunt Herodotum Xanthi narratione si non usum esse, at certe eam cognovisse.

Cur hoc loco Herodotus Xanthum non sit secutus, diversae causae prolatae sunt: affero has:

Creuzerus, Ryckius alii censuerunt Xanthum aliqua ex causa, nobis quidem ignota nihil de his rebus ab Herodoto traditis prodidisse[2]. cur aliquid nos celaret Xanthus? non fuit, cur hoc faceret. praeterea testimonium

---

1) Xanthi (fr. 10) Alcimum et Herodoti (I, 7) Alcaeum significare unum eundemque regem putant Stein (ad Her. I, 7) et Pomtow (l. l. p. 25) suspicati facile fieri posse, „ut Herodotus Alcimum barbarum nomen ignotum in Alcaeum Graeco lectori notissimum commutaret, memor fortasse Heraclis avo nomen fuisse Alcaeo". satis habeo Dielsii opinionem afferre (Herm. 22, 412 adn. 1). „. . . . Ich verstehe wenigstens eine Quellenkritik nicht, die den Alkaios des Herodot auf den Alkimos des Xanthus zurückführt".

2) cf. Baehr, Herodotus vol. I pag. 838 exc. III.

Xanthi maiorem fidem habet quam Herodoti, quod omnino non fieri potuit, ut Lydi coloniam deducerent in Etruriam. nam exstat permagna diversitas linguae, institutionum, morum, religionis inter utramque gentem. videmus igitur Xanthum non modo non celavisse quicquam, sed etiam ea, quae sola verisimilia sunt, tradidisse.

Hachtmannus autem (p. 11) conicit Herodotum sententia Xanthi repudiata alteram de hac re pervulgatam esse secutum. atque Pomtowius (p. 27) putat Herodotum, cum aliunde audiverit a Tyrrheno, Lydorum rege, Tyrrhenos ducere originem, rem ad Torrhebum, Atyi filium, quem e patria emigrasse et auctorem gentis Torrheborum fuisse apud Xanthum legerit, transtulisse. sed cur, si diversas eadem de re opiniones accepit, illas non commemoravit Herodotus, id quod alioquin solet, cf. I. 5, 20. 27. 95 alios locos?

Denique Seidenstueckerius (p. 49) Bauerum [1]) secutus putat hanc narrationem in Italia demum ab Herodoto compertam postea Lydorum historiis additam esse.

b) Gravem discrepantiam nominum Candaulis et Sadyattis tollere Hachtmannus conatus est ratiocinatione valde contorta: fortasse eam interpolatione Dionysii Scytobrachionis ortam esse, qui quoniam nomen Candaulis, Xanthi patris, ex antiquo illo rege finxisset, hoc nomen in ordine regum Lydorum omisisset atque Sadyattem pro eo substituisset. quam opinionem confutavit suo iure Heilius (l. l. pag. 30): neque nomen patris a Dionysio fictum est, neque si fictum est, ullo modo cogitari potest, qua causa probabili adductus Dionysius veteri regi aliud nomen suo arbitrio indiderit. — Seidenstueckerius (p. 57) tollit diversitatem nominum suspicans Herodotum similes duas narrationes a Xantho Lydo traditas confudisse. at nusquam ansa invenitur, qua haec coniectura nitatur.

c) Gygis filio apud Xanthum nomen Alyattes est, apud Herodotum Ardys. Muellerum, Hachtmannum (p. 19), Pomtowium (p. 46, 1) non dubitavisse consentaneum est

1) Bauer, Entstehung des Herodot. Geschichtswerkes; pag. 107.

hanc discrepantiam referre ad librarii errorem. Seidenstueckerius (p. 62) autem putat Herodotum ipsum errorem commisisse, quam coniecturam comprobat haec originis Mermnadarum tabula:

Gyges
Dascylus — Ardys
|
Dascylus
|
Gyges, qui Candaulem sive Sadyattem necavit.

si hoc loco solo nomina regum ab Herodoto et a Xantho tradita inter se differrent, assentiremur libenter opinioni virorum doctorum. sed cum etiam aliis duobus locis diversa nomina exstent, facere non possum, quin nomen Sadyattis a Xantho ipso scriptum esse credam.

Ea quae nunc perlustravimus colligentibus nobis statuendum est his locis Herodotum non usum esse Xantho, alia ratione diversitates explicari non possunt. quod pertinet ad ceteras, quae exstant, reliquias Lydiacorum, etiam hoc loco, cum perpauca fragmenta praesto sint, poni non potest Herodotum secutum esse Xanthum[1]. quod est summi momenti ad Herodoti de Croesi exitio et Nicolai vel potius Xanthi narrationes recte aestimandas.

1) Ad eandem sententiam pervenerunt A. de Gutschmid (kl. Schr. IV, 311); Busolt (Gr. Gesch. II², 452); Ed. Meyer (Forsch. I, 167, 182); C. Wachsmuth (Einl. in d. Stud. d. alt. Gesch. pag. 466).

Vita.

Natus sum Paulus Soedel Dessaviae die 29. mens. Iun. a. 1887 patre Ernesto matre Maria de gente Moebius. fidem confiteor evangelicam. inde ab anno 1897 gymnasium Dessaviense, cui est nomen Fridricianum, frequentavi, cuius disciplina per novem annos usus sum. vere 1906 maturitatis testimonio instructus Tubingam me contuli, ut studiis philologicis et historicis me darem. autumno insequentis anni profectus Berolinam per duo semestria huius almae studiorum sedis civis fui. tum me contuli Gottingam, ubi ex illo tempore versatus sum.

Docuerunt me viri clarissimi Busch, Götz, Gundermann, Herzog, Iacob, Schmid Tubingenses, Delbrueck, Dessoir, Diels, Lasson, Norden, Sternfeld, Thomas, Wilamowitz Berolinenses, Baumann, Brandi, Busolt, Koerte, Lehmann, Leo, Mueller, Pohlenz, Stein, Viertel, Wackernagel, Wendland Gottingenses.

Proseminarii philologici et historici sodalis fui, seminarii per quattuor semestria. ad exercitationes grammaticas benigne me admiserunt Wackernagel, ad historicas Busolt.

Quibus omnibus viris doctissimis magnam habeo gratiam, imprimis vero Pauli Wendland et Maximiliani Pohlenz praeceptorum, qui me in hoc opusculo conficiendo benigne consilio adiuverunt, memoriam grato pioque animo semper colam.